



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Legia Catholica**

**Roberti, Johannes**

**Leodii, 1633**



[urn:nbn:de:hbz:466:1-64596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64596)





H

L

u

71. 49 49



LEGIA

CATHOLICA.

LEODIENSIBVS

CATHOLICIS

OFFERT

IOHANNES ROBERTI,

*Societatis IESV Sacerdos,*

*Collgij S. Theol. Doct.*

*Societatis IESV Paderbornae 1633*



LEODII,

Typis Ioannis Ouwerx, S. C.

Typographi jurati. 1633.



---

Hoc Libello, Sedecim  
Sæculorum perpetuâ se-  
rie, clarè ostēditur, Leo-  
diensis Ecclesiæ Episco-  
POS OMNES, & sub ijs  
POPVLVM VNIVER-  
SVM, semper CATHO-  
LICAE ROMANAE EC-  
CLESIAE adhæsisse.

---



ILLVSTRISSIMIS,

Reuerendissimis,

GENEROSIS,

ATQVE AMPLISSIMIS

DOMINIS,

D. Ioanni Raitz à Frentz,

PRAEPOSITO,

D. Arnoldo à VVachten-  
donck, DECANO,

DD. Archidiaconis,

Cæterisq; Cathedralis Ecclesiæ

LEODIENSIS Canonicis:

*Itemque,*

Toti Venerabili Clero

LEODIENSI.

**N**on poterat hic Libellus  
oportunius vel scribi,  
vel in lucem edi, Illustrissimi,  
Reuerendissimi, multum Ge-  
nerosi, atque Amplissimi Do-  
mini, quàm hoc tēpore, quo



accensi zelo illius Religionis,  
quam Leodiensibus Antistiti-  
bus, Clero, Nobilitati, Popu-  
lo semper obseruatam, sem-  
per cultā fuisse ostendo, De-  
creta grauissima sponte ve-  
strā ipsi conscripsistis, & vul-  
gastis, de eādē Religione  
retinendā, & coërcendis iis,  
qui contra eam quoquo mo-  
do peccarent. Est quod ma-  
gnopere gaudeā, mihiq; gra-  
tuler, datam vestrā pietate  
oportunitatem, pro modulo  
meo exercendi illud diuinū  
Effatum : Mala aurea in  
lectis argenteis, qui lo-  
quitur verbum in tem-  
pore suo. Proverb. 25. ver.  
11.

Non



Non excurram hic in lau-  
des vestras. Scio esse amplis-  
simas: sed vobis approbanti-  
bus, dicere ausim, omnes re-  
liquas infra hanc esse, quā  
Decreta illa edidistis, tam  
Catholicorum Patrum Filij  
genuini, & digni Heredes.

Valete, & in dies magis,  
magisq; cōualescite; meum-  
que studium approbate, &  
defendite. Leodij 24. Iu-  
nij, anno 1633.

Vestrae Amplitudini addictis-  
simus in Christo Servus,

IOHANNES ROBERTI,  
Societatis IESV.



# L I C E N T I A

ORDINARIJ.

**L**ibellum hunc R. in  
Christo P. IOANNIS  
ROBERTI S. Theolog.  
Doct. adstruentem aui-  
tam Fidem Catholicam  
Romanā Leodienses iam  
inde à temporibus Apo-  
stolorum excoluisse, iu-  
dico dignissimū qui ty-  
pis mandetur. Datum in  
ædibus nostris Claustra-  
libus, hac 22. Maij 1633.

IO. A CHOKIER  
*Canonicus, & Vi-  
carius Gen. in Spi-  
ritualibus.*



# LEGIA<sup>I</sup> CATHOLICA.

**S**TEMMATA quid faciunt?  
Quid prodest, Pontice  
longo

Sanguine censeri, pictos osten-  
dere vultus

Maiorum, & stantes in cur-  
ribus Æmilianos,

Et curios iam dimidios, hu-  
meroq; minorem

Coruinū, & Galbam auricu-  
lis, nasoq; carentem?

Quis fructus generis, tabulā  
iactare capaci

Coruinū, posthac multā con-  
tingere virgā

Fumosos Equitum cum Dio-  
tatore Magistros

Si coram Lepidis malè vini-  
tur? effigies quò



*Tot bellatorum, si luditur a-  
lia pernox*

*Ante Numantinos? si dormi-  
re incipis ortu*

*Luciferi, quo signa Duces, &  
castra mouebant?*

**L**ibuit Libellum hunc ordiri  
ijs versibus, quibus Iuena-  
lis Satyram suam de verâ, &  
falsâ Nobilitate: qui mox, cum  
hanc perstrinxisset, rectè de illâ  
subdit:

*Tota licet veteres exornent  
vndiq; ceræ*

*Atria, Nobilitas sola est, atq;  
unica Virtus.*

Rectè planè, & Christianè  
ab homine non Christiano: &  
quod Christianos multos pu-  
deat. Sed nos non pudeat profi-  
teri, & Deo, nobisque gratula-  
ri, sic à Maioribus nostris verâ  
illam Nobilitatem accepisse, &  
longo



longo ordine, ac nunquam interruptâ serie retinuisse; ut nobis candidè, & verè dicere liceat: (quod inter Tertulliani Præscriptiones est; potius dixerim Dei, eiusque Ecclesiæ.) *En edimus Origines Ecclesiæ nostræ: euoluimus ordinem Episcoporum nostrorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus noster Episcopus (MATERNVS) Apostolum (PETRVM) habuerit Authorem, & Antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, ut idem Tertullianus concludit.*

Hunc Censum, quâ potero, scripto hoc deferre decreui, & Christiano, quàm latè patet, Orbe teste ostēdere, Ecclesiam LEO DIENSEM (si qua alia post Matrem omnium Romanam: )

A 5

quam



quam semel fidem à S. Materno primo Episcopo, & Doctore suo, hausit, nunquam per hæresim, aut prauam doctrinam abiēcisse. Semper illa præ oculis habuit sacra illa *Stemmata*, pictos illos *Maiorum vultus*, non fragili cerâ expressos: sed in æternitatis cedro, aut marmore, Dei artificis manu sculptos. Nullum in tam longo ordine vidit vel *dimidium*, vel *humero minorem*: nullum vel *auriculis truncum*, vel in honesto vulnere, *naso multatum*. Omnes obseruauit integros, viuidos, animatos, & minores suos animantes. Colores lata aspexit, non vanos, aut euanescentes: sed Virtutis Magistræ penicillo ita illitos, & distributos, vt facilè appareret, ab animâ, à vitâ, à sanguine integro proue-



CATHOLICA. 5

prouenire illam integritatem.

Nemo, qui hæc legat, à me expectet, vel integram Leodiensis Gentis, & Ecclesiæ Historiam, quam non nisi multis, & grandibus voluminibus expedias: vel Virtutum omnium anxiam obseruationem. Quippe vnicam Fidem, & Religionem Catholicam, Apostolicam, & Romanam attingere consilium est. Planè attingere. Nam neque de hac ipsâ diffusius agam; sed quam potero breuî compendio. De cæteris verò Virtutibus si quid eâdem breuitate scripsero, non nisi ad ipsam Fidem, ac Religionem insinuandam scripsero, eiusque perpetuitatem. Hoc argumentum mei huius libelli est, hæc Epigraphe.

Iam per Episcopos, eorum-  
que



que tempora, & annos, exacto ordine iturus, à primo, scriptio- nis facio exordium.

# I. S. M A T E R N V S.

**T**E veneror, Sanctissime Pa- triarcha, & Apostole noster, non magis Materne, quàm Pa- terne. Planè apud nos & Pa- trem egisti, & Matrem. Hanc te præbuiſti lac Diuinæ, & Ca- tholicæ Doctrinæ præbendo, blanditias, & ſuauiſſimam cæle- ſtem inſtillando: Illum, ſoli- diorem cibum, quàm hortationi- bus, quàm virilis tuæ vitæ exem- plis robuſtioribus, proponen- do: quo ad heroicas tuas Vir- tutes ſectandas conſtanter ani- maremur. Te igitur in hoc adi- tu veneror. ut quæ de Te, Tuiſ- quæ Succelloribus, compendio memorabo, non compendio- ſum



sum fructum, in animis Lecto-  
rum meorum, producant: sed  
centuplum è simplici afferant,  
& mensuram bonam, & con-  
fertam, & coagitatam, & su-  
pereffluentem, vicinis quoque,  
& remotis exsaturandis, reddât:  
idque liberalissimo in primis  
DEO augente incrementa fru-  
gum iustitiæ omnium; sed tuis  
efficacissimis precibus, eam lar-  
gissimam Benedictionem, quâ  
apud illum polles, gratiâ impe-  
trantibus. Hâc ego spe non va-  
nâ fretus, alacer opus aggre-  
dior.

Satis constat, Apostolorum  
columen Petrum, cum Româ,  
Imp. Claudij anno secundo ve-  
nisset: nihil prius habuisse, ne-  
que antiquius, quàm vt in to-  
tum, quam latè patebat, terra-  
rum Orbem, (cuius sibi curam  
à



à Christo Domino demandatam meminisset ) Euangelij, & Catholicæ Religionis Præcones dimitteret. In his Eucharis, Valerius, Maternusque fuere: qui sub annum Christi Domini quartum, & quinquagesimum, ad Treuirenses, Colonienses, *Tungrensesq;* destinati sunt.

Sed Maternus, vt illustrior esset Dei, & Petri mittentis virtus, & erga *Tungrenses* caritas, haud ita multum cum socijs progressus, calidâ febre correptus rebus humanis improuisò eripitur. Petrus eo casu, Eucharis, atq; Valerio nuntiantibus, cognito, nihil territus, baculū, Pontificiæ dignitatis insigne, ijs tradit, iubetque bono animo esse: exanimū corpus huius cōtactu, haud dubiè, fugitiuo spi-



# CATHOLICA. 9

ritu redeunte, vitæ iri restitutum.  
 Id contigit quadragesimo die,  
 quàm terræ fuerat mandatum.  
 Igitur Treuirenses, Agrippinē-  
 ses, *Tungrenses* Populos (vna  
 tum Ecclesia erat) Maternus E-  
 piscopus adit, Catholicâ doctri-  
 nâ imbuit, nefariorū Idolorum  
 sacrilego cultu liberat; salutife-  
 ris Christiani Baptismatis vn-  
 dis abluit: hisque intentus, an-  
 nos quater denos salutem cir-  
 cumferens, & vicinis Gentibus,  
 plenis faucibus propinans, fur-  
 tiuæ mortis singulis diebus, sin-  
 gulos annos triumphantes re-  
 pendit. Tandem cælestibus ar-  
 cibus triumphali immortalitatis  
 curru inuectus est circa Christi  
 annum centesimū, tricesimum.

## MONITIVNCULA.

**I**N hoc aditu monendus mihi  
 Lector, ne miretur, si *Legiam*  
 Ca-



Catholicam pollicitus, *Tungrensem* Ciuitatem, & Episcopos producam. Vnus hætenus Episcopatus ab omni memoria, *Tungrensis*, *Leodiensis*que habitus est; nec aliter veteres Historiarum nostrarum Scriptores tradidère, quos sequimur. Consultò tamẽ eos breuius percurreremus, qui ante *S. Hubertũ* vixère, qui *Leodiensis* Ciuitatis primus Antistes fuit.

*Octo S. Materni in Tungrensi Pontificatu Successores.*

**T**Erris erepto *S. Materno* succedunt *Nautilus*, *Marcellus*, *Metropolus*, *Seuerinus*, *Florentius*, *Martinus*, *Maximinus*, *Valentinus*. Horum res gestæ, vel neglectæ ab Historicis; vel, quod creditu procliuius, in dirâ illâ *Hunnorum* diluuie, cum tot alijs,



alijs, vel sacris, vel profanis monumentis, perierūt. Ita iudicant Harigerus, & Ægidius: ita Treuirēses Annales, qui hos quoq; suos Pontifices agnoscūt, vt antē de Materno diximus. Ita Ægidius Bucherius noster solertissimus antiquitatis Ecclesiasticę inuestigator. De his octo generatim censemus cum bonis authoribus, vel Martyrium passos: vel tam multa pro Fide, & Pietate tulisse, vt Martyres, etiam non fuso sanguine, censerī possint. Singulatim verò, vt ē magno naufragio, has velut tabulas, aut tabularum fragmenta, collegit Ægidius, Aureæ val-  
lis Religiosus: *Nauitum* plurimos ē finitimis populis ad Fidem conuertisse, tum doctrinā Catholicam in animorū agros spargendo: tum miracula, & prodigia patrando.



*Marcellum*, omni sanctitate  
fuisse conspicuum :

*Metropolum* dignâ virtutum  
moderatione claruisse :

*Seuerinum*, quintum, quin-  
que talentis fuisse pollentem :

*Florentium*, sui nominis o-  
men implentem, vt Episcopum  
decebat seriò floruisse :

*Martinum*, contra vim Dæ-  
monum, Martem exercuisse :

*Maximinum*, omni sancti-  
tate perfectum, vitam exegisse.

*Valentinum* deniq;, angelicâ  
puritate, Angelis amicū extitisse.

Addit idem *Ægidius* horum  
corpora, Tungris sepulta, à B.  
Seruatio Traiectum translata,  
in cryptâ condita fuisse, eâdem,  
quâ ipse postea tumulatus est.

Porro de *Martino* non si-  
leamus, quod ex antiquis mo-  
numentis memoriæ prodidit  
Mo-



Molanus, Vocari eum Hasbanorum Apostolum, quod eam Gentem ab altâ Idololatriæ cecitate liberârit. Qui & adiūgit, in humanis esse desisse anno 276. Vide si lubet eius Chronicon Sanctorum Belgij.

Iterum Ægidium audiamus: qui memorabile illud de Valentino scriptum reliquit, quod eius verbis accipe. *Beatus Valentinus, horum ultimus, Spiritus sancti attactu pramonitus, seu quolibet Ecclesiastica Traditionis exēplo pradoctus, quocūq; Dei nutu iussu ve inductus, cū ad extrema vitæ vergeret: Baculum Pastoralem super Altare B. Mariæ Virginis ponēs, sub indissolubilis anathemathis vetuit animadversione, ne quis inde temerarius tolleret; ne quis orbato*

*Præ-*



*Præsulatui mercenarius immergeret, donec per reuelationem I E S V Christi cominus electio, idoneum Doctore, & Episcopum animarum suarum inueniret. Hæc Ægidius: qui merito, vt mirum notat, totum septennium, post Valentini excessum, Tungrensem Ecclesiam, Pastore viduam, perseuerasse, nemine auso, tanti Præsulis tam serium interdictum migrare.*

#### X. S. SERVATIVS.

**I**Lias mihi texenda sit, si huius Herois res gestas, & virtutes scribere aggrediat. Sed pro meo instituto, solum ea tradam, quæ Catholicum, & Catholicæ Fidei acerrimum defensorem, & promotorem probent. Missarum solennia quotidie celebrabat:



CATHOLICA. 15  
brabat : Linguarum Donum  
diuinitus acceperat , quo non  
nisi in instruendis Ethnicis ,  
Christianisve utebatur : nam  
cum in quotidianis sermonibus  
sine Interprete à Barbaris non  
intelligeretur ; ubi tamen diui-  
na tradebat, omnes, tamquam si  
cuiusq; peculiare idioma usur-  
paret, sine difficultate eum ca-  
piebant. Præter hoc ingens mi-  
raculum, plurima alia cuiusque  
generis frequenter patrabat.

Prophetiæ spiritu , occulta,  
absentia, futura præsentiebat. &  
in his , Hunnorum in Gallias  
irruptionem , atque ex eâ mul-  
torum populorum , Tungro-  
rum maxime, ruinam. Hæreses  
omnes , sed potissimum Aria-  
nam , exagitauit , confutauit,  
profligauit. Euphraten Colo-  
niensem Metropolitanum, coa-  
cto



cto inibi Concilio, damnauit,  
& damnari ab alijs curauit, ac  
de sede deturbari, quod Arij lue  
infectus esset, neque resipisce-  
re vellet. Non est silenda eius  
sententia, quæ in eâ Synodo, ex  
sacro sancto illo ore audita est.  
*Nos Pontifices, inquit, crimi-  
nis arguimur, si Hæreticos in  
Ecclesiâ Dei regnare pati-  
mur. Euphraten igitur, qui  
Christum Saluatorem nostrum,  
negauit esse Deum, censeo,  
Christianis Episcopum esse non  
posse: neque illum Christia-  
num esse iudicandum, qui  
eius confinitimus fuerit in-  
uentus.*

Romam idem B. Seruatius  
profectus, Apostolorum Petri,  
& Pauli limina veneratus est,  
hoc maximè intentius efflagi-  
sans, ut eorum precibus flexus,  
ira-



iratus mortalibus Deus, Hun-  
nensem cladem à Galliâ, &  
& Tungris potissimum auer-  
teret.

Eo in itinere, B. Auctore Me-  
tensem Antistitem adiit: vbi Al-  
taris lapidē, eximiē elegantem,  
sed casu ruente trabe confra-  
ctum, ducto per fragmenta di-  
gito, pristinā integritate resoli-  
dauit.

Rome tum Principum Apo-  
stolorum; tum aliorum quoq;  
Sanctorum patrocina sancto  
ambitu expetijt: responsa diui-  
nitus accepit, atque etiam de o-  
bitu, & tumulo suo edoctus est.  
Neque plura de hoc Sancto  
addam.

S. Seruatio ad æternas Bea-  
torum sedes translato (quod iu-  
xta certio rem Chronologiam  
contigisse putamus circa Chri-  
sti



sti annum 383.) obscura, & inexplicabilis ferè est Episcoporum Tungrensium, per annos 114. successio: propiusque verò est, sævientibus persecutionibus nullos fuisse veri nominis Episcopos, vsque ad annum 497.

Annotabo tamen eorum nomina, quos quidam tradunt S. Seruatio successisse. Ij sunt Agricolaus, Ursicinus, Designatus, siue Resignatus, Renatus, Supplicius, Quirillus, Eucherus, Falco, Eucharis. Quorum primus Agricolaus, in Synodo primâ Aurelianensi, S. Seruatio suffectus ponitur.

## XX. S. DOMITIANVS

**R**educta post tot tempestates, in Ecclesiam, pacis serenitate, & Christianâ Religione flo-  
rente



rente, Domitianus Tungrensi Ecclesiæ præficitur: quem cō-  
uertum est Childeberti Regis  
tempore. Aurelianensi Conci-  
lio interfuisse.

Hic Ecclesiæ Tungrensi præ-  
dia à varijs sacrilegè direpta,  
eiusdem Regis autoritate re-  
stituit: S. Seruatij Sepulchrum  
frequētauit, & ornauit. De quo  
Sepulchro illud à Turonensi  
Episcopo S. Gregorio, alijsque  
memoratur: Niuem, quanta-  
cumq; copiâ rueret, illud nun-  
quam contingere solitam.

Obijt B. Domitianus circa  
annum 560. sepultus in Eccle-  
sia B. Mariæ Virginis Hoyi,  
stupendis post mortem miracu-  
lis clarus.

Aruernensi Synodo, ann. 541.  
habitæ, inter alios Antistites,  
hic ita subscripsit: *Domitianus*

B

in



*in Christi nomine, Episcopus  
Tungrorum, quod est Traie-  
ctum, subscripsi.*

XXI. S. MONULPHVS

**E**Mergimus ad tempora, dis-  
cussis persecutionum, & ig-  
norantiæ tenebris, cognitionis,  
& veritatis luce clariora.

S. Monulphus circa annum  
571. B. Domitiano succedit, ge-  
nere & sanctitate clarissimus,  
Sedemq; S. Materni annos ad-  
modum 39. tenet, & omni vir-  
tutum genere auctam exornat.

Traiecti, (vbi tum Episcopi,  
vastatis Tungris, habitabant)  
magnificum Templum ædifica-  
uit, inque illud S. Seruatij sacra  
Pignora deportauit, ei que am-  
plissima prædia sua in perpetuū  
attribuit.

Idem Principis cuiusdam a-  
nimam, suis, & totius Populi  
oratio-



oracionibus, ieiunijs, & eleemosynis, à cruciatibus longioribus liberauit.

Clericos, Deum timentes instituit in Ecclesiâ S. Seruatij, eosque Canonicis regulis vivere voluit.

Huic Sancto ô Catholica LEGIA, debes vaticinium, quod te nunquã obliuisci decet. Proficiscebatur Traiecto Dionantum. Ex itinere, capitur amœnitate tuæ Vallis: quærit Vocabulum: LEGIAM appellari audit: *Moxq; Prophetico tactus Spiritu* (verba sunt Ægidij, Aureæ-vallis Monachi) *Eia,* inquit *astantibus, Locus, quẽ Dominus ad salutem multorum fidelium suorum elegit; & quem per merita cuiusdam serui sui, postmodum magnificè illustratum Summis Ciuitatibus*



uitatibus æquabit, statimq; descendit, locum orationis designauit; constructam Ecclesiã in honore Sanctorum Cosma, & Damiani Martyrum, Domino consecrauit: quam postmodum S. Lamberrus suo sacro sanguine nobilitauit.

Nota, ô Nobilis Legia, quorum sit, Ecclesias, & Oratoria in Sanctorum cultum extruere, exornare, consecrare: & quid de eorũ religione sentiendum, qui neque Sanctos coli volunt, & eorum Ecclesias polluunt. & prophanant. Opto equidem, vt quoties S. Lamberti Nobilem illam Basilicam intueris oculis, animo Religionem illam Patrum nostrorum intuearis.



## XXII. S. GONDVLPHVS.

SANCTO Monulpho anno 609.  
defuncto, sufficitur S. Gondulphus, e Principe familiâ Lotharingiæ oriundus. Hic auctoritate, quam illi & gradus, & natalium dignitas dabat, ad Dei honorem vtens, plurimas Ecclesias tum exædificauit ipse; tum ab alijs idem fieri curauit.

Narrât Annales nostri, Cum Carolus Magnus ad dedicationem Basilicæ, quam Aquisgranæ ædificauerat, Episcopos 365. quot in anno dies sunt, adesse cuperet; deessentque ad eum numerum explendum, dumtaxat duo, emerfisse e tumulo duos hos Sanctos Monulphū, & Gondulphum, & optimi Imperatoris votū expleuisse. Tum peractâ Consecratione, acceptâ



à Leone quarto, Summo Pontifice, qui aderat, Benedictione, ad quietis suæ locum rediisse.

XXIII. S. PERPETVVS.

**D**ionantensium hic Patronus, & Tutelaris anno 617. S. Gondulphi Sedem, dignus Successor occupat. De quo ad institutum meum hæc tantum habeo, quæ notem: Barbaros diligenter in Fide excoluisse, quantumvis renitentes, infensosque: B. Virginem, Sanctosque reliquos impensè excoluisse: & ne post mortem suorum oblitus videretur, Oleum è corpore suo largiter, multorum sanandis morbis, & symptomatis, scaturiuisse; de quo illud canere liceat, quod de S. Nicolaij Oleo quidam cecinit non ineleganter.

*Cuius*



*Cuius tumba fert Oleum,  
Matres Oliuæ nesciunt :  
Quod natura nõ protulit,  
Marmor sudando parturit.*

## XXIV. S. EBREGISVS.

DE isto Sancto , cum nihil certi ad rem nostram prodant Historiæ, hoc solum dicamus, Constare, nihil, illo Tungrensem Sedem tenente, mutatum in Religione ; nullam hæresin, aut prauam doctrinam emersisse : quod satis est , ad ostendendum eatenus continuatam Catholicam fidem. Quod vnum hoc Opusculo agimus.

XXV. S. IOANNES  
AGNVS.

SVperiores Sanctos excepit  
Ioannes Agnus, ipse quoque  
Sanctus, & Sanctorum vesti-



gijs insistens. Miro hic modo vocatus est ad Catholicam Fidem in Tungrensi Episcopatu, propagandam.

Transmarinus quidam vir, omnibus ignotus, Angelo mone[n]te, nobilem, & opulentum hunc Agnum operi rustico intentum reperit, & Tungrensem Cathedram inire iubet. Reluctatur ille, multa causatus, cur indignus sit eo fastigio. Ad extremum, baculum, quem manu gerebat, terræ infigit, aitque, Non magis fieri posse, ut ipse Episcopus fiat, quàm ut aridus ille stipes radices, frondes, flores, fructus repente parturiat. Vidit confestim; & vix finito verbo, hæc omnia, Deo omnipotentiam suam momento ostendente.

Apostoli sententia est de Episco-



piscopis: *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* Planè hic *tamquam Aaron vocatus est,* qui etiam Virgam florentem & fructus edentem, pari miraculo, conspexit. Sed quos fructus? piè curiosa Quæstiuncula est. Crediderim ego, *Mala* fuisse. Quæris, vnde hoc credam? Testatur Libertus Houthem, se in antiquissimo manuscripto Codice legisse, *Ea Mala*, quæ vulgo Leodij. & in vicinia *S. Ioannis* dicuntur, ab hoc nostro Ioanne nomen accepisse. Cur, nisi quia eius Virga cōsimilis generis Poma protulit? Alibi scio, eadem vocari *Poma Paradisi*. Eadem ratio, Quia Cælo meritò missa censentur, quæ eâ ratione producta.

Catholicus semper in vitâ

B 5 Ioan-



Ioannes Agnus, etiam in morte Catholicum se probauit, dum bona sua Oratorio SS. Martyrum Cosmæ, & Damiani legauit. In quo etiam sepultus est, anno Seruatoris 637. Est hoc Oratorium in Arce Hoyensi.

# XXVI. S. A M A N D V S.

**V**Erè ab omnibus amandus iste *Amandus*, qui sic Deo in amoribus fuerit. Catholica manifestè in eo sunt ista:

Monachus fuit: postea etiam Clericus. Peregrinatus est, pietatis causâ, Romam, Apostolos veneraturus: Monasteria construxit, Regum, & Principum opibus corrogatis. Gandensem Populum ad fidem conuertit: neque eâ viciniâ contentus, etiam Gentibus ultra Danubiũ positis Christi Fidem intulit.

Dago-



Dagoberti Regis filium sacro  
Baptismate lustravit, qui puer  
quadraginta dumtaxat dies na-  
tus, catechisanti Episcopo cla-  
ra voce, cum omnium stupore  
respondit, A M E N. Denique  
in Elnonensi Monasterio vitæ  
sanctissimè actæ finem fecit,  
anno 650.

## XXVII. S. R E M A C L V S.

**M**ulta, & mira sunt huius Sã-  
cti heroïcarum cuiusq; ge-  
neris Virtutum facinora. Ca-  
tholica sunt ista.

Sancto Trudoni author fuit,  
vt Ecclesiæ S. Stephani in Me-  
tensi Ciuitate, Patrimonium  
suum traderet. Eiusdem suasu  
Sigebertus Rex duo Cœnobia  
extruxit: quæ hodieque in vi-  
ciniâ nostrâ sunt, Stabulense, &  
Malmundariense: in quorum  
prior



priore vitæ suæ postremos annos, relicto Episcopatu, transegit.

XXVIII. S. THEODARDVS.

**M**agnus Martyr Theodardus, præter hoc ipsum, quod Martyrium passus est, dum Ecclesiæ suæ bona, ab iniustis possessoribus vēdicata strenuus reperit: hoc etiam nobis præbet Catholicum, quòd à B. Remacio, Magistro suo, & Monacho, in Monachismo ipse institutus est, & alios deinceps instituit. Etiam hoc, quòd eius Catholicam Sanctitatem, post gloriosum Martyrium, Deus multis, & stupendis Miraculis illustravit. Passus est Anno Christiano 655.

XXIX.



XXIX. S. LAM-  
BERTVS.

Patronum tuum agnosce, ô  
Catholica LEGIA, & si-  
mul memineris, quæ ignorare  
non potes, Monachum egisse  
in Stabulensi Monasterio: Ab-  
bati ibi humiliter fuisse subie-  
ctum: eiusdem iussu pœniten-  
tiam in medijs niuibz ad Cru-  
cem egisse: Taxandros vicinos  
ab Idololatriâ ad Catholicam  
Fidem conuertisse: Landradam  
Sanctimonialem Sanctam Vir-  
ginem, & viuam, & mortuam  
coluisse. Hæc omnia, vide an  
Catholicam Fidem sapiant, an  
Catholicum Antistitem pro-  
bent. Martyrio coronatus est  
anno Christi 696.

XXX.



## XXX. S. HVBERTVS.

**T**Ricesimus iste est à S. Materno, sed propriè Primus Tuus, ( iterum te alloquor ) Ô LEGIA CATHOLICA. Huic Episcopatum debes, quem ad te transtulit cum sacro S. Lamberti Corpore. Potesne dubitare, fueritne Catholicus, qui Lamberti Magistri sui vsus consilio, Romam adierit, Apostolorum sacra Pignora supplex adoraturus : qui inibi, eius morte diuinitus cognitâ, ipsius pedo ab Angelo allato, à Sergio Papâ illi sit surrogatus : qui sacrâ STOLA, mirabilium & stupendorum miraculorum, tot iam secula, patratrice, fuerit ornatus : qui Lamberti Magistri Corpus, tamquam sacras Reliquias transtulerit : qui Ecclesias  
ædi-



ædificari, & Pontifex sacrauerit, Catholicis cæremonijs adhibitis: qui aqua, & oleo benedicto sit vsus: qui Angelico concentu, in exequijs honoratus fuerit: cuius denique Corpus à putredine diuinitus sit cōseruatum? Dubitet hunc Catholicum fuisse, qui ipse Catholicæ Communionis expers est. Sanctissimè obiit anno 727.

## XXXI. S. FLOREBERTVS

**S**Vccessit S. Huberto, Sancto Patri, Sanctus Filius, Florebertus: de quo hoc tantum occurrit notandum, Patris vestigijs institisse; vtique maximè in tuenda Fide, & Religione Catholica.

## XXXII. FVLCAIVS.

**O**btinuit ab Imperatore Ludouico, vt Ecclesiæ Leodiensis



diensis redditus annuos augeret.  
Iussu S. Stephani Romani Pō-  
tificis, operam suam impendit  
in cognoscendis actis S. Swi-  
berti : vt in Sanctorum nume-  
rum referri posset, quod voce  
Ecclesiastica vocamus Canoni-  
zari.

### XXXIII. AGILFRIDVS.

Priorum Episcoporum vesti-  
gijs insistens, Catholicam Fi-  
dem, & retinuit, & diligenter  
docuit. Carolo Magno Impe-  
ratori carissimus.

### XXXIV. GERBALDVS.

DE huius Catholica Fide, &  
Pietate, testentur Anselmi,  
Canonici Leodiensis versiculi :

*Catholico more Gerbaldus  
functus honore,  
Ecclesiae multa bona contu-  
lit, intus, & extra.*



Testatur & hoc, quòd cum Romano Pontif. Leone, Carolo Imperatore, alijsque multis interfuit solemnì Canonizationi S. Swiberti. Et illud, quòd ab eodem Pontifice obtinuit. ut Ecclesias honori Dei, & B. Mariæ Virg. dicatas, Tungris, Viseti que consecraret.

## XXXV. WALCANDVS.

**I**N Eremo Arduennate, loco, qui Andainum dicebatur, Clericos in Monachos commutauit: deditque, vnde commodè alerentur, & Magno Deo seduli deseruirent. Eò se contulerunt, tum alij, tum aliquot è Canonicis Cathedralis Ecclesiæ S. Lamberti. Iisdem Monachis Walcandus Corpus S. Huberti primi Leodiensis Episcopi, concessit, annuente Pontifice, Ludouico



douico Pio, Caroli Magni Filio, & Synodo Prouinciali, Aquisgrani habitâ. Idem Corpus ipse, splendidissimâ cum pompâ, ipso etiam Imperatore comitante, eò transtulit, & Locum magnis redditibus dotauit.

## XXXVI. PIRARDVS.

**V**Ti priores Episcopi, Catholicus vixit, Catholicus obiit, & Populum sibi commissum, Successori Catholico Catholicum reliquit.

## XXXVII. HIRCARIVS.

**H**ircarius itidem, nihil à Catholicâ Doctrinâ deflexit, nihil in Populo diuersum passus est.

## XXXVIII. FRANCO.

**E** Monacho Lobienſi, Episcopus Leodiensis factus est.

Nort-



Nortmannis Ecclesiæ eiusdem  
fines vastantibus armatus oc-  
currit. eosque vel cecidit, vel  
longè fugauit. Et quamuis du-  
râ necessitate coactus, impiorû  
sanguinem fuderat; Altare ta-  
men de more accedere ausus nō  
est. Quod manifestè pertinet  
ad Disciplinam Catholicam.

Idem Franco, rogatu Auæ  
Abbatissæ Hekensis, SS. Vir-  
ginum Remullæ, & Harlindis  
Corpora, è terrâ eruta in The-  
cam argenteam, multo auro or-  
natâ, reuerenter imposuit. Præ-  
fuit hic Ecclesiæ Leodiensi an-  
nis 48. & obiit anno Seruato-  
ris 903.

### XXXIX. STEPHANVS.

Composuit, quæ in Rituali-  
bus Ecclesiæ libris vocantur  
Respōsoria, & Antiphonæ, quæ  
in



in *S. Lamberti* officio canuntur. Item ad Robertum Merensem Episcopum, Capitularium Librum, in quo Capitula, Responsoria, Versus, Collectæ, ad singulas diei, & noctis horas, quæ toto anno vsurpantur. Iussit idem totâ Diœcesi celebrari festum B. Eugenij Martyris.

#### XL. RICHARDVS.

**S**tephani Episcopi Responsoria, cæteraque Ritualia, probauit, & laudauit. Altare ad SS. Trinitatis honorem dedicauit: ex Abbate Prumiensi, Leodiensis Episcopus factus, & auctoritate Ioannis Papæ Romæ ordinatus. Ecclesiam S. Petri Leodij reparauit, dedicauit, dotauit, & inibi triginta Canonicos constituit.

#### XLI.



## XLI. HUGO.

**A** Bbas prius Monasterij S. Maximini apud Treuiros Hugo Leodiensem Ecclesiam, Catholicè Catholicus, vt cæteri ante se, rexit, & in Catholicâ Fide promouit.

## XLII. FARABERTVS.

**H**ic quoque Abbas, è Monasterio Prumiensi ad Leodiensem Episcopatum vocatus est. Interfuit Synodo Engelheimensi, Agapeti Papæ iussu congregatæ.

## XLIII. RATHERIVS.

**D**vo proximi, Abbates; iste Monachus fuit Lobienfis: tum Episcopus Veronensis: postremo, Leodiensis. Vnde pulsus, ad Cœnobium Lobienfe redijt,



redijt, & iterum Monachus, obijt. Extant aliquot libri, ingenij eius egregia monumenta, & Catholicæ Religionis argumenta. In his sunt, Vita S. Vrsuarii, &, De Corpore, & Sanguine Domini, & contra Hæresin Anthropomorphitarum. Extant eiusdem aliquot etiam Epistolæ: in quarum vnâ, ad Ioannem Papam scriptâ, ipsum Papam vocat Archipræsulum Archiepiscopum.

#### XLIII. BALDRICVS.

**H**ic, vt egregio Magistro, instituendus Catholicâ Doctrinâ traditus S. Bruno, Othonis Imperatoris Frater, Coloniensis postea Archiepiscopus: cuius sanctitatē qui leget, colligat & Magistri Catholicam sedulitatem.

XLV.



## XLV. ERACLIVS.

ERuditissimus, & Eruditorum amator vnicus, duas Leodij Ecclesias cōdidit; S. Pauli alteram; alterā S. Martini: vtramq; consecrauit: vtriq; triginta Canonicos attribuit. S. Laurentij etiam Ecclesiam fundauit; sed morte sublatus, ad fastigium educere non potuit. Singulare, & planè Catholicum est, quod subiungo.

Laborabat Eraclius morbo, qui Lupus dicitur. Is miseri hominis carnes depascebatur. Vouet Eraclius se ad B. Martini tumulū profecturum: tum vorum implet. Septem ipsas noctes inibi pernoctat, orationibus perpetuis vacans, lacrymis madidus. S. Martinus apparet: Cruce cōsignat hominem: momento



mento sanatur, morbo Crucis  
illo signaculo tamquam abster-  
so. Eraclius, iussus Missam mox  
celebrat publicè. Populus pro-  
digio acclamat, & applaudit.  
Iussu Sancti Medici sui fit E-  
raclius Canonicus Turonensis.  
Reuersus Leodium, Ecclesiam,  
quam dixi, in honorem S. Mar-  
tini ædificat. Ex eo tempore,  
Canonici Leodienses S. Mar-  
tini, & Turonenses, Confratres  
censentur. Omnia hæc Eraclius  
manu suâ posteris consignata  
reliquit. Post hæc, diuino, mo-  
nitu ter repetito, idem S. Euer-  
mari Martyris Corpus è terrâ  
eleuauit, & in loco, qui Rutis  
dicitur, haud procul Tungris,  
decenter collocauit, populo de-  
inceps adorandum.



## XLVI. NOTGERVS.

ERaclio rebus humanis, anno  
 970. sublato, sufficitur Not-  
 gerus, à S. Gercone, Colo-  
 niensi Archiepiscopo consecra-  
 tus. Ecclesiam Sanctæ Mariæ,  
 & Sancti Lamberti ædificijs ad-  
 ditis ampliorem fecit, & multis  
 ornamentis illustriorē. Sublato  
 Capri-Montis latrocinio (in-  
 ductis Clericorum habitu mi-  
 litibus) & destructâ inibi San-  
 cti Ioannis Apostoli Ecclesiâ,  
 aliam sub eiusdem patrocinio,  
 Leodij in Insulâ ædificauit. Ex-  
 truxit item B. Mariæ Virginis  
 Ecclesiam Parochialem, Cathe-  
 drali contiguam. Tum S. Pauli  
 Collegiatam perfecit & vigin-  
 ti Canonicis denos addidit. Ne-  
 que eâ Catholicâ pietate con-  
 tentus, S. Crucis Ecclesiam ad-  
 didit,



didit, ac dotauit. Accessit postea  
ab eodem cōdita Ædes S. Dio-  
nyfij, viginti primum Canoni-  
cis constitutis; quibus alij de-  
cem postea accesserunt. Eidem  
debet Oppidum Fossę suam Ec-  
clesiam, & alia plura suas: Ei-  
dem Monachi multi, & Sancti:  
moniales, disciplinam, & vitam  
verè Religiosam. Defunctorū  
quoque curam suscipiens Nor-  
gerus, eorum memoriam eo tē-  
pore à S. Odilone Abbate in-  
stitutam postridie Kalend. No-  
uembres, in suam Ecclesiam  
transtulit. Sanctorum Reliquias  
sacras, sedulò conquisiuit; in  
varias Ecclesias transtulit: or-  
navit: in honore habuit, & ha-  
beri voluit. Labet versiculos a-  
liquot subiungere, parum quidē  
comtos, aut emendatos; sed qui  
Catholicam eius fidem egregiè  
commendent.



CATHOLICA. 45

Sponte cadunt Hareses sub  
forti milite Christi :

Fraus, & ficta fides, tumor,  
& Cōmenta fugantur,  
Et deprensa tremunt, tam-  
quam sub Iudice morū.  
Quę subnecto, non carent Mi-  
raculo :

Nam sumus experti, Qui-  
cumq; fuit violator  
Ecclesie, postquam hunc fe-  
riēs, anathemate vinxit,  
Corpore & exclusit, sacro  
vel Sanguine Christi:  
Iuit in Exilium, resipisce-  
re ni properasset.

Si rabie caruit, sed nō pru-  
rigine turpi,  
Et reliquā scabie, quā po-  
stea nemo piaret :

Aut fregit collū, vel ama-  
tos perdidit artus.

Talis erat reprobis, —

C 2

Ob



Ob hæc, & alia plura, alius  
Poëta, Legiam alloquens, me-  
ritò ita canit: *Notgerum Chri-  
sto: Notgero cetera debes.*

Ecclesiæ Leodiensi annos præ-  
fuit 36. Obijt anno 1007.

#### XLVII. BALDRICVS.

**S**Vccessit Baldricus, Notgeri  
æmulator egregius. *In hono-  
randis Ecclesiis* (verba sunt An-  
selmi Canonici Leod.) *earum-  
q; rebus augendis, magnificus  
fuit: adeo, ut nullam in Epi-  
scopatu suo Ecclesiam, nullum  
præteriret Cœnobium; quod  
non aliquo vel agrorum, vel  
decimarum fructu donauerit:  
Ex prædiis sui patrimonij,  
Christi Pauperes, in Ecclesiis  
Deo seruientes, hæredes fece-  
rit.*

Idem Ecclesiam B. Marię, &  
B.



B. Lamberti : itemque S. Bartholomæi, à Godeschalco Maioris Ecclesiæ Præposito cōstructam, dedicauit, & consecrauit. Fundamenta item iecit Ecclesiæ S. Iacobi, & vsque ad fenestras opus perduxit ; etsi absoluere mors illi inuidit. Reliquias sacras Andreæ Apostoli supplex veneratus est. Arnulpho Comiti preces, & Sacrificia pro defuncto pollicitus est, & promissum præstitit.

## XLVIII. WOLBODO.

Ecclesiam S. Iacobi, à Baldrico inchoatam absoluit. Missas celebrat, & ante singulas, totum Psalterium recitat. Processiones Cleri instituit. Crucis Imaginem veneratus est, & in eius amplexu mortuus. Ad eius Reliquias multa, & magna Miracula patrata sunt.



## XLIX. D V R A N D V S.

Q Vid ego hunc Catholicum  
fuisse probem? Probet ipse  
nobili illâ suâ Epistola, quam  
ad Robertum Franciæ Regem  
dedit, contra Brunonem Ande-  
gauensem Episcopum, & Be-  
rengarium Turonensem, qui  
Corporis Christi veritatem in  
Eucharistiâ, Hæretici negabât,  
& ymbra tantum, ac figuram  
esse asseriebant. Recitat eam E-  
pistolam Annalium Ecclesiasti-  
corum nobilis conditor Baro-  
nius, Christi anno 1035. Ex  
quâ hoc solum fragmentum de-  
scribo: *Non est tam pro illis*  
*(Brunone, & Berengario) Con-*  
*cilium aduocandum, quàm*  
*de illorum supplicio exqui-*  
*rendum.* Addo ipsius Baronij  
de Ecclesiâ Leodiensi iudicium,  
quod



quod, eâ Epistolâ citatâ subiun-  
git: *Vides, Lector, prima spi-*  
*cula in virulentum draco-*  
*nem, vibrata fuisse à Nobi-*  
*lissima Ecclesia Leodiensi, Ca-*  
*tholicæ Fidei tenacissima: in*  
*primis verò ab eius Episcopo*  
*Durando, nec non ab eiusdem*  
*Ecclesiæ Scholastico. Schola-*  
*sticum intelligit Baronius, no-*  
*mine Adelinum, qui postea*  
*Brixienfis fuit Episcopus. Hic*  
*Epistolam ad Berengarium, co-*  
*dem argumento scripsit: quâ il-*  
*lum hortatur, vt pacem Catho-*  
*licam ne perturbet, dum Eccle-*  
*siæ Dogmata euertere conatur.*  
Obijt Durandus anno 1025.

## L. REGINARDVS.

Leodiensem Ecclesiam iste à  
S. Materno quinquagesimus  
obtinuit: sed per nefariam si-



moniam. Quam tamen simoniam canonicè, & Catholicè expiauit. Nam Romanum Pontificem, Christi Vicarium agnoscens, in Urbem profectus est, ut eo crimine solueretur. Ibi ad Ioannis Papæ pedes se abiecit: & interruptâ multis singultibus oratione, culpam confessus est: Pastoralem baculum in S. Petri Altari deposuit, & cum eo Episcopatum. Quem tamen tertio post die illi Pontifex restituit.

Leodium reuersus, Ecclesiam S. Laurentij ædificauit, siue renouauit: eamdem prædijs auxit, & *Triginta ibi Monachos regulariter viuentes constituit*, inquit Anselmus. Sepultus est in eadem Sancti Laurentij Ecclesia Reginardus, anno 1038.



CATHOLICA. SI

LI. NITHARDVS.

**D**Væ Parochiales Ecclesiæ,  
Sancti Thomæ, & S. Re-  
migij, in Ciuitate Leodiensi: &  
Sacellum S. Benedicti, in Arce  
Dionantensi, hunc Catholicum  
fuisse probant.

LII. WAZO.

**P**Lurima sunt quæ huius Ca-  
tholicam Fidem probent. E-  
go breuissimo compendio hæc  
tantum excerpo.

Iudæum disputando supera-  
uit. Pro ouibus suis emori per-  
optabat, hostibus Ecclesiæ, so-  
lo Crucis signo armatus, fre-  
quenter sese obijciens. In cau-  
sis Ecclesiasticis, non Impera-  
toris; sed Romani Pontificis  
sententiam attendendam, liber-  
rimè coram Imperatore ipso,  
C S pluri-



pluribus Episcopis, & Proceribus, professus est. Manichæorum insanas hæreses insectatus est, luculentâ epistola ad Episcopum Catalaunensem datâ; qui eum, vt sapientissimum, & maximè Catholicû Antistitem, consuluerat. Ad Imperatorem scripsit, A solo Deo iudicari debere Christi Vicarium Pontificem Romanum.

Ab Imperatore eodem indignè, & non pro Episcopali fastigio, verbis choleram spirantibus, exceptus, liberè respondit, quod Anselmi verbis ponam. *Etsi VVaxonis persona forsitan indigna est honorari; Sacerdotalis tamen gratia, per inunctionem Sacri Chrismatis, à DEO mihi collata, non deberet inter populares turbas tam inhonestè*  
fa-



fatigari. Ad hæc Imperator,  
 indignâti typho respondens:  
 Similiter, ait, & ego oleo sa-  
 cro, datâ mihi præ cæteris, im-  
 perandi potestate, sum perun-  
 ctus. At venerabilis Præsul,  
 iustitiæ tactus fervore, super-  
 bientem Regem paucis corri-  
 puit: Hactenus, inquiens, vo-  
 bis incognitum puto, quia  
 quantum vita est morte præ-  
 stantior, tantum est, nostra  
 inunctio, vestrâ inunctione  
 præstantior: Vobis siquidem  
 criminosos alligandi, & eo-  
 rum corpora perimendi, re-  
 vera est collata potestas: nobis  
 peccatores absolucndi, & eorû  
 animas ab eternâ morte re-  
 suscitandi, concessa est digni-  
 tas. En Wazo! de quo merito  
 eius tumulo Poëta se scripsisse  
 censuit.

Ante



*Antè ruet mundus, quàm  
surgat VVazo secundus.  
Obijt anno. 1048.*

### LIII. THEODVINVS.

**E**Cclesiam Beatæ Mariæ in  
Hoyo, à fundamentis, vsque  
ad laquearia, ædificauit, vel re-  
staurauit: & in eiusdem Dei  
Genitricis honorem dedicauit,  
cui erat præcipuâ deuotione  
addictus. Quindecim Cano-  
nicis, alios totidem ibidem ad-  
didit. Dedicauit etiam Eccle-  
siam S. Euermari Martyris, in  
Rutis. Reliquias S. Iacobi A-  
postoli, Compostellâ petijt, &  
obtînuît: item SS. Bartholo-  
mæi, Sebastiani, & Pancratij:  
quas celebri pompâ & excepit  
ipse, & ab Ecclesiâ totâ excipi  
præcepit. *Testati nobis sunt  
sæpenumero Maiores nostri,*  
(inquit



# CATHOLICA. 55

(inquit Ægidius) quòd ætate  
suâ nulla prorsus iucundior  
dies Vrbi aliquando affulse-  
rit Leodiensi.

Neque minore gratulatio-  
ne, & voluptate accepta Crucis  
Christi particula, à Stephano  
Papâ Leodium missa: itemque  
Reliquiæ sacræ Sancti Lauren-  
tij Martyris.

## LIV. HENRICVS

### PRIMVS.

ERat hic Archidiaconus Vir-  
dunensis, cum Episcopatum  
Leodien. obtinuit: & à S. An-  
none Archiepiscopo Colonien-  
si, more Catholico consecratus  
est.

## LV. OBERTVS.

CAnonicus Ecclesiæ Cathe-  
dralis, & Sanctæ Crucis Pre-  
positus



positus Obertus, Episcopus factus, Corpus S. Odæ Virginis (quæ cæca, ad sacras S. Lamberti Reliquias, lumen receperat) è terrâ leuauit, & honoratiore loco, in Ecclesiâ Rhodensi collocauit. Lætus etiam excepit Reliquias S. Sepulcri, & S. Iohannis Baptistæ, ab Arnulpho, Ierosolymitano Patriarchâ, per Petrum Eremitam sibi transmissas.

Templum item S. Lamberti eiusque Altare magnificè exornauit, multis pretiosis vestibus ad Sacrificij splendorem, additis. Præterea Ecclesias Parochiales, S. Huberti Leodij, & S. Fidei in Suburbio ædificauit, & dotauit. Obijt anno 1119.



## LVI. S. FREDERICVS.

**F**redericus, frustra nitente cō-  
trā Alexandro inuasore adul-  
terino Episcopatus; in Synodo  
Coloniensi, mirā concordia eli-  
gitur: & à Calixto Papā Re-  
mis consecratur.

Hoc Frederico Episcopo,  
Henricus Imperator, Episco-  
patum, & Abbatiarum Colla-  
tionem à prioribus Imperato-  
ribus vsurpatam, remisit, & Ca-  
nonicam fieri electionem, at-  
que Consecrationem, permisit.

Veneno ab improbis S. Fre-  
dericus sublatus est anno Chri-  
sti 1121. Episcopatus anno 2.  
multis Miraculis cuiusque ge-  
neris, post mortem clarissimus.

## LVII.



## LVII. ALBERO.

**C**Anonicos Regulares constituit in Ecclesiâ S. Ægidiij, in Mōte publico. Ædificauit Monasteriū Ordinis Præmonstratensis in Castello Cornelij. Mōtis : & in Cœmeterio S. Dionysij, Parochialem Ecclesiam S. Aldegundis : in Claustro verò S. Petri, Ecclesiam SS. Clementis, & Trudonis.

## LVIII. ALEXANDER.

**C**ontra Godefridum, Ducem Louauensem, cædibus, rapinis, & incendijs Leodiensem Episcopatum vexatē pugnatus, S. Lamberti opem, orationibus, & ieiunijs obtinuit : & copijs licet longè impar, eius exercitum fudit, & fugauit, labaro eius capto, quod multis post



pōst annis, Leodiensis Clerus  
in publicis Processionibus, vi-  
ctoriæ, & nobilis Triumphī  
monumentum gestitavit.

Nouū Monasterij, prope  
Hoyum, Alexander Ecclesiam  
perfecit, dedicauit, muneribus  
exornauit, & auxit; calice in  
primis nobili ad Sacrificium.

Fundamenta iecit Monaste-  
rij Floreffiensis, prope Namur-  
cum. Eiusdem authoritate, fun-  
datum est, iuxta Ecclesiam S.  
Christophori, Hospitale Koki-  
norum, Ordinis S. Augustini:  
quod regi, & visitari voluit ab  
Abbate S. Laurentij.

Huius Alexandri tempore,  
circa annum Dñmini 1130. erāt  
in Ecclesiā S. Lamberti Leo-  
dij, Canonici summo genere  
prognati, Regum Filij nouem:  
Ducum quatuordecim: Comi-  
tū



rum viginti nouem: Baronum septem. Quorum nomina Brui- stemius locuples author, sigil- latim recenset.

### LIX. ALBERO II.

**D**Ebet huic Ecclesia Leodien- sis recuperata multa deper- dita, ab improbis, tamquam abigeis, auersa. Inter hæc prin- cipem locum obrinet Castrum Bullonium, à Raynaldo Co- mite, contra ius, & fas, tyranni- cè occupatum. Debetur hæc expeditio post Deum, potissi- mū, ac soli fere S. LAMBERTO: cuius Corpus in Castra dela- tum, effecit, quod nulla huma- nâ vi, aut industriâ effici posse videbatur. Vnde & meritò in Ecclesiâ Leodiensi, ab annis iam quingentis, festum agitur, cui *Triumpho Bullonico* nomen est.



Historia est illustris, & scitu  
iucundissima: sed in hoc bre-  
uissimo cōpendio minimè nar-  
randa. Descripta à nobis est ex  
optimis Authoribus in S. Mar-  
tyris Vitâ, ex quâ hauriat licet,  
cui volenti fuerit. Obijt Albero  
secundus, & ei successit Henri-  
cus Secundus an. Domini 1145.

## LX. HENRICVS II.

**M**iracula S. Bernardi Leodij  
patrata vidit, & probauit.  
Alnense Canonorum Colle-  
gium in Monasterium, eodem  
S. Bernardo rogante, mutauit.  
Ab Henrico Namurcensi Co-  
mite, iniusto bello appetitus, S.  
LAMBERTI ope (cuius Cor-  
pus ad prælium delatum est)  
insignem victoriam obtinuit;  
hostibus diuinitus stupore cor-  
reptis, Ecclesiasticorum ne vno  
quidem



quidem aut capto, aut vulne-  
rato.

In Italiam secundo profe-  
ctus, Corpora trium Regum  
Magorum, pro Ecclesiâ suâ  
Leodiensi obtinuit, prope Me-  
diolanum, reperta. Sed Episco-  
po apud Papiam defuncto, de-  
lata non sunt. Quiescunt mo-  
do in Colonia Agrippina.

### LXI. ALEXANDER II.

**P**AUCIS, quibus Ecclesiæ, præ-  
fuit, annis, illud de eo Catho-  
licum habemus, Quod iussu Pō-  
tificis, Aquisgrani, Caroli Ma-  
gni Ossa, præfente Frederico  
Imp: ynà cum Raynaldo, Co-  
loniensi Archiepiscopo, è terræ  
latebris educta, in feretro ar-  
genteo reuerenter collocavit. Id  
contigit anno 1166.

### LXII.



## LXII. RADVLPHVS.

Ecclesiam S. Laurentij, in Suburbio Leodiensi, fulmine tactam, nouâ dedicatione lustrauit. Corpus S. Domitiani, Hoyi in loculo argenteo reposuit, hætenus terrâ obrutum.

Huius tempore, multâ sanctitate, & Prophetiæ Spiritu illustris fuit Dei Sacerdos Lambertus le Begue, is qui primus Viduas, & Virgines, quibus vel facultas deesset, vel volûtas Religiosum Institutum suscipiendi, hortatus est, vt Castitatis nihilominus propositum arriperent: & quò hoc facilius, iucundius, & constantius præstarent, plures simul conuenirent, vt coniunctâ habitatione, conuictu, & mutuo exemplo ad virtutem incitarentur. Eæ ab  
Authore



Authore *Beguina* vocatæ sunt.  
Quarum numerus ita creuit, vt  
in Ciuitate Leodiensi vix inter  
tot Ecclesias vlla sit, quæ eius-  
modi domicilio careat, pijs ho-  
minibus certatim ad tam san-  
ctam vitæ rationem, facultates  
suas conferentibus. Manauit  
Ciuitatis Principis exemplum,  
primū ad minora Ditionis Leo-  
diensis Oppida, ac deinde per  
reliquum Belgium: Debetur  
hoc certò Dicecesi nostræ, quid-  
quid in viciniâ nostrâ quidam  
sentiant: qui nuper & nomen,  
& rem ipsam, ad Sanctam Beg-  
gam auertere conati sunt: in  
cuius tamen rebus gestis, nul-  
lum, ne ipsi quidem vestigium  
reperiunt. Neque nos mouet,  
quòd litteras quasdam produ-  
cunt *Beguinagiorum*, quibus  
res antiquior probatur nostro  
*Begue;*



Begue; nemo nescit, quàm facile hæc talia, fingantur. assimilentur, adulterentur. Certè si quis iam litteras proferret, quibus probare tenderet, S. Hubertum fuisse Episcopum Tornacensem, non Leodiensem; meritò exploderetur. Simile hîc dixerim. Manet nobis nostra Possessio. Nec tam ignaui sumus, ut ab ea nos pellat fragmentum chartæ, & modicum ceræ, aut pulvis.

Cæterum Radulphus Episcopus, Cruce signatus, cum multis alijs Terram-Sanctam petijt : & inde reuersus obiijt anno salutis 1191.

### LXIII. ALBERTVS LOVANIENSIS.

**L**Egitime à Clero electus, Lothario, per simoniam se ingerenti,



renti, eiusque patrono Imperatori, gnauiter se opponit, & ius suum tueretur. Romam ad Sedem Apostolicam, primum appellatum eò ipse proficiscitur. Confirmatur à Papa eius electio: qui & purpurâ Cardinalitiâ eum ornat. Româ rediens, Mitram à Pontifice allatam, Lobienſi Abbati donat; potestatis insignie. Dehinc Remos profectus, ab illius Ecclesiæ Archiepiscopo Wilhelmo Episcopus consecratus est. Is Wilhelmus inter ipsa Consecrationis solennia, diuino monitu eruditus, Alberto clarè prædicit, Martyrem Christi futurum. Verus fuit vates. Nam audito reuerenter Missæ sacrificio, ab aliquot Alemannis proditoribus, tredecim vulneribus confossus, capite confracto, & disperso cerebro,



bro, innocentem Deo animam  
generosus Martyr, sanguine  
purpuratam representauit.

Ne de vero Martyrio dubites;  
plura miracula Remis ad eius  
Sacras Reliquias patrata, fidem  
faciunt. Oblata Deo gratissima  
hæc Hostia anno 1192.

LXIV. ALBERTVS  
DE CVYCK.

Impetratas à Cælestino Pon-  
tifice, S. Laurentij Reliquias,  
Româ Leodiû gratulabundus  
detulit. Huius tempore, blas-  
phemus quidam vino æstuans,  
ipso Christi Domini Natali  
die, Imagini eiusdem Christi  
carnes assas, veru adhuc hæren-  
tes, obtulit, insultans, quòd fo-  
lus ieiunus persisteret, alijs e-  
pulantibus. Protinus obuersum  
veru oculum impio ioculatori  
exsculpsit.

D

Illud



Illud quoque prodigiosum.  
Præpositus Maioris Ecclesiæ,  
nepotem quendam suum, Mo-  
nasterium S. Iacobi Leodij in-  
gressum, & Monachum profes-  
sum, armatis Satellitibus, vi ex-  
traxit. Conquestus apud Epif-  
copum Abbas, cum nihil profi-  
ceret, Præpositum ad Diuinum  
Tribunal citat, intra quadrage-  
simum diem, inibi rationem fa-  
cti redditurum. Irridens Præ-  
positus, hominem, tanquam fa-  
naticum contemnit. Sed non  
diu impunè tulit. Quadregesi-  
mo die constituto, Abbas emo-  
ritur. Pulsantur Catholico mo-  
re campana æra. Balneo Præ-  
positus corpus tum fortè fouēs,  
quærit, Quid sibi illa compul-  
satio velit? causam audiens, ac  
diem, citationemque recordans:  
Mibi quoque, inquit, migran-  
dum,



dum, & coram iusto Iudice  
comparendum est. Et cum di-  
cto, horrendo cum eiulatu, ani-  
mam eijcit.

Quod iam subiungo, non vi-  
deatur fortè ex ijs esse, quæ Le-  
giam Catholicam probent. Cū  
tamen insigne sit beneficium,  
Leodiensibus meis diuinitus col-  
latum, non est visum, hoc tem-  
pore, quo contigit, reticendum.

Carissima Leodij, & in vici-  
niâ, erat annona lignorum, quæ  
ad omnem vsum vitæ humanæ,  
culinæ maximè, atque eorum  
opificiorum, quæ ignis ministe-  
rio exercentur, necessaria sunt.  
Faber erat ferrarius, quem gra-  
uis inopia premebat. Cui cum  
Senex quidam ignotus, candi-  
dâ veste indutus, se obtulisset,  
eumque comiter salutans, in-  
terrogasset, ecquid valeret? ec-

D 2

quid



quid ars, & mercimonium rectè procederet? respondissetque Faber, se lignorum, & carbonum inopiâ ad incitas reduci: ille humaniter, Vade, inquit, ad montem, qui Monachorum dicitur, ibi fode; & terram reperies nigram, aptissimum ignis, ad omnem usum, nutrimentum: Faber, amicis adhibitis, paret monitis, fodit, & atrum illum carbonem eruit, quem *Hullam* vocamus, multo bitumine pinguem, qui supra quadringentos iam annos, & toti ditioni Leodiensi, & vicinis, remotioribusque populis, ignem alit, tum calidissimum, tum vilissimum, & maximè parabilem. Hæc tēpore huius Episcopi Alberti contigerunt. Hulla anno ferè 1200. eo, quo dixi modo, ostensa, & reperta est.



LXV. HUGO DE  
PETRA-PONTE.

**F**undauit Monasterium Val-  
 lis S. Lamberti prope Leo-  
 dium, Ordinis Cisterciensis.  
 Comes de Loz, & Comes de  
 Muha, omnia sua dant Sancto  
 LAMBERTO: frustra huic se  
 opponente Duce Brabantiae.  
 Hic, multis modis foedifragus,  
 Ciuitatem Leodiensem vastat,  
 spoliat; Ecclesias, & sacra om-  
 nia prophanat. Sed turpiter vin-  
 citur, Deo, & S. LAMBERTO  
 vires praebente. Tandem Dux  
 ad publicam poenitentiam ada-  
 ctus, nudis pedibus à Ciuitatis  
 portâ ad S. LAMBERTI Ec-  
 clesiam progreditur, & supplex  
 absolutionem ab Episcopo pe-  
 tens, voti fit compos. Hinc no-  
 bilis ille Triumphus, qui in



STEPPEs dicitur. Cuius memoria haëtenus quotannis, splendido apparatu repetitur, ab annis iam 400. & eo amplius. Hunc nos Triumphum in Vitâ S. LAMBERTI accuratè descriptimus, hîc minimè reperendû.

Hugo noster, Ordine Prædicatorum, Leodij admissio, & pace Ecclesiæ redditâ, moritur anno Salutaris 1229.

## LXVI. IOANNES DE APPIA.

CONsecratus Episcopus ab Henrico Remensi Archiepiscopo, primam Missam celebrat in Valle S. Lamberti. Eius tempore admissi Religiosi Patres Scholares in Valle S. Mariæ : ædificatum Monasterium PP. Prædicatorum in Insulâ & Minorum iuxta Ecclesiam S. Jacobi



Iacobi. Duorum postremorum  
 ædificata etiam Monasteria A-  
 quisgrani, Traiecti, Hoyi, Lo-  
 uani, S. Trudone, Niuellæ,  
 Namurci, Dionanti, Mechli-  
 niæ. Mortuus Iohannes anno  
 1238.

LXVII. GVILHELMVS  
 VALENTINVS.

O Stensus hic potius Ecclesiæ.  
 Leodiensi, quàm datus, sta-  
 tim emoritur: Religione Ca-  
 tholicâ integrâ perseuerante.

LXVIII. ROBERTVS  
 LANGONEIS.

O Rnamentis multis, & pre-  
 tiosis admodum Ecclesiam  
 condecorauit. Obtinuit, vt in  
 toto Ordine Cistertiensi Festû  
 S. LAMBERTI Martyris cele-  
 braretur; cum antè eius tantum  
 fieret Commemoratio.



Illud maius : Quòd Festum Corporis Christi (quod hactenus toti Ecclesiæ Catholicæ decrat) primus omnium Leodij celebrari præcepit.

Longa est Historia: quam & alij multi descripserunt ; & nos iusto libello ; qui hactenus lucem non vidit.

Satis sit hoc Festum, maximè Catholicum, & Hæreticis præ omnibus maximè inuisum, Ecclesiæ Leodiensi deberi. Ibi prima eius Reuelatio facta Iulianæ Sanctæ Virgini Corneliensi : Ibi prima promulgatio, & Celebratio: Inde actum cum Summo Pontifice V R B A N O IV. qui ex Archidiacono nostræ Ecclesiæ ad illud Fastigium euectus, memoratum Festum instituit : Ibi præcipuâ Religione hactenus colitur ; Sacro Christi



sti Corpore, ad solemnem A-  
 dorationem, in Cathedrali, om-  
 nibusque Collegiatis Canoni-  
 corum Ecclesijs, quintâ quâque  
 feriâ totius anni, publicè pro-  
 posito: & per omnes Parœcias,  
 (sunt ex numero triginta qua-  
 tuor) festis Officijs, & Proces-  
 sionibus, pompisq; viciatim ce-  
 leberrimis, aliquot per annum,  
 mensibus, summâ pietate, eius-  
 dem Sacri Corporis honori du-  
 ctis. Hæc pluribus annis, Leo-  
 diensium pietate, & procura-  
 tione patrata, lubuit hoc com-  
 pendioso velut fasciculo com-  
 plecti. Obijt Robertus anno  
 1246.

LXIX. HENRICVS  
 DE GVELRIA.

ALTARE Maius Cathedralis  
 Ecclesię in honorem B. Ma-  
 rię Virginis, & S. Lamberti  
 D s Mar-



Martyris, dedicari curauit. Id quâ pompâ, quo sacro apparatu contigerit, colligas licet ex eo, quod affuere Petrus Rhotomagësis Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, qui illud consecrauit: item Rex Wilhelmus, Lifredus Moguntinus, Arnoldus Treuirensis, Conrardus Coloniensis Archiepiscopi; & Episcopi, Iacobus Metensis, Gaugericus Catalaunensis, & Henricus noster Leodiensis.

Huius tempore, institutum toto Orbe Festum Venerabilis Sacramenti, ab VRBANO IV. Pontifice, annitentibus Leodiensibus. De quo paulò ante in Roberto Langonensi diximus.

LXX.



LXX. IOANNES EN-  
GHIENSIS.

**L**eodiensis Ecclesiæ Cantor  
Grisellus, hoc Episcopo, æ-  
dificauit, & dotauit Prioratum  
Guilhelmitarum in prædio suo  
Mottâ; vbi ali voluit octo Sa-  
cerdotes, qui vel ob senium, vel  
aliam infirmitatem, se alere nō  
possent. Iussit tamen, si quando  
dissolutiorem vitam ducerent,  
Canonicorum Cathedraliū au-  
thoritate, ex eiusdem Ordinis  
Monasterio, cui nomen Bien-  
hafay, alios substitui. Quod  
postea factum.

LXXI. IOANNES  
GVIDONIS.

**H**uius autoritate, Monachi  
Cornelij-Montis in domū  
Fratrum Minorum Leodium  
migrarunt.



LXXII. HVGODE  
CABILONE.

**E**Idem Catholicam huius tem-  
pore incolumem fuisse con-  
stat. Neque de illo aliud ad In-  
stitutum nostrum, notandum  
occurrit.

LXXIII. ADOLPHVS  
DE WAIDEGE.

**V**ix electus, Ecclesiæ Sacra-  
mentis munitus moritur.

LXXIV. THEOBALDVS  
DE BARRO.

**N**ihil de hoc reperio singu-  
lare. De Catholicâ Reli-  
gione perdurante, constat.

LXXV. ADOLPHVS  
A MARKA.

**O**ccupatus totos 32. annos  
bellorum, contentionum, &  
diffi-



difficultatum infinitarum tumultibus : inter eos tamen, coniunctis animis cum Canonicis Cathedralibus, sacrum Corpus S. Hadelini Confessoris, Cellis Visetum transtulit; & simul duodecim Canonicorum Collegium : aperto prius eiusdem Sancti loculo, & Corpore integro reperto. Brachio vno excepto, quod in Monasterio Stabulensi, religiosè colitur. Facta ea Translatio anno 1338. Adolphus obiit anno 1344.

# LXXVI. ENGELBERTVS A M A R K A.

**I**isdem ferè studijs deditus Engelbertus nepos, quibus Adolphus patruus; cum paucis annis Episcopalem Leodij Sedem obtinisset; ad Archiepiscopalem Colonensem translatus, Leodienses



dienses Catholicos reliquit, vt  
semper, & quales illos inue-  
nerat.

LXXVII. IOANNES  
DE ARKEL.

Sacerdotes, quos Seculares  
dicimus, huius Episcopi tem-  
pore, Leodij de Dæmonibus  
triumpharunt. Ingens multi-  
tudo virorum atq; mulierum è  
superioribus Germaniæ parti-  
bus, anno 1374. in Belgium  
descendit, à Diabolis obsessa,  
& infessa. Hi cum per Aquis-  
granum, & Traiectum, tandem  
Leodium appulissent, Ciuita-  
tem terrore, & magnorum ma-  
lorum expectatione, impleue-  
runt.

Seminudi discurrebant, fertis  
capita cincti, & choreas, non  
modo in plateis; sed & in Ec-  
clesijs



clesijs, & domibus, ductitantes,  
 & clamantes se grauitè à Dæ-  
 monibus excruciami: Ad multa  
 iam millia (dictu quoque hor-  
 rendum) excreuerant: & fie-  
 bat in dies maior accessio. Ple-  
 rique ita iudicabant, non rectè  
 ab impuris Sacerdotibus Secu-  
 laribus, Baptismi aquis lu-  
 stratos.

Sed vt ostenderet Deus, Sa-  
 cramentorum vim, & efficien-  
 tiam, à Ministrorum probitate  
 minimè pendere: per eos ipsos,  
 Diabolos excuti voluit, & mi-  
 seros homines liberari, qui ca-  
 lumniam patiebantur. Nam cū  
 Monachi, & Religiosi nihil eā  
 in re, quantumuis conarentur,  
 efficere possent; ij, quos dixi,  
 Sacerdotes, stolis ritè ornati,  
 Ecclesiæ sacris Exorcismis, &  
 aquā Benedictā propinatā, re-  
 citato-



citatoque sacro Euangelio, iniustos possessores domicilijs non suis eiecerunt. Paulatim id factum: sed non cessatum, donec totum illud Satanæ ludibrium sublatum est, non sine Ecclesiæ Leodiensis, eiusque Sacerdotum ingenti gloriâ.

Sub hoc tempus, grauissimum schisma in Ecclesiâ Romanâ oritur, quo annos ipsos 40. miserrimè scissa, & afflicta est. Urbano sexto Pontifici legitimo, opponunt Schismatici Antipapam, qui se Clementem septimum nominabat. Leodiensis Ecclesia pluribus Regnis, & Prouincijs schismatico adherentibus, in officio mansit, & Urbanum, ut decebat, agnouit, ut ex ipsius Urbani litteris, ad Ecclesiam Leodiensem, vacante Sede, datis, clarè constat.

LXXVIII.



LXXVIII. ARNOLDVS  
DE HORN.

CAnonicus Leodiensis Eustachius Persandus ab Ecclesiæ Cathedralis Canonicis, mortuo Ioanne de Arkel eligitur. Mittuntur aliquot primarij viri, qui à Pontifice confirmationem de more petant: qui prauo consilio vsi, cum in Italiam missi essent, Auenionem eunt, & inde Fundos proficiscuntur, & cum Clemente Antipapa agunt; qui Electum confirmat. At Urbanus verus Pontifex, re intellectâ, Arnolde Horneo Episcopatum Leodiensem cōfert: quem Leodienses vt legitimum Episcopum agnoscunt: qui & ab Imperatore, Aquisgrani Regalia, quæ vocantur, accipit.

LXXIX



LXXIX. IOANNES  
DE BAVARIA.

VERum Pontificem, Urbano defuncto suffectū agnouit, & missis Legatis, veneratus est, seque, & Dioccesin Leodiensem, illi commendauit. Vingt nouem annis Leodiensem Sedem tenuit: ac deinde reliquit, uxoremque duxit.

LXXX. IOANNES DE  
WALENRODA.

SUCCESSIT Bauaro Ioannes de Walenroda, cum priscis Ecclesie Leodiensis Fundatoribus, Suffrido iudice, comparandus. Ordines Sacros, & Confirmationis Sacramentum, ipse conferebat, in Missarum celebratione, alijsque Diuinis Officijs assiduus. Sed, vt virtus impijs



pijs odio est, primo Episcopatûs sui anno, veneno perimitur, anno 1419.

LXXXI. IOHANNES  
HEINSBERGIVS.

**E**Gregius hic Iuuenis, legitime electus, & à Martino V. Pontifice legitimo, ritè confirmatus, contra Hussitas hæreticos, cum multis alijs Principibus Viris, Cruce signatus, in expeditionem profectus est. Obijt anno 1456. cum proximo anno antè, in gratiam Borbonij, Episcopatu cessisset.

LXXXII. LVDOVICVS  
BORBONIVS.

**T**Otos vigintisex annos bellis, & tumultibus exercitus, Fidem tamen Catholicam retinuit, & moriens Ecclesiæ Leodiensi



diensi reliquit. Viuere desijt  
anno Seruatoris 1482.

LXXXIII. IOANNES  
HORNEVS.

**I**Terum sub isto mera bella,  
tumultus, turbæ. Interea ta-  
men, tamquam si in mediâ pa-  
ce ageretur: S. Lamberti, &  
aliorum Sanctorum Reliquiæ  
apertis tumultis inspectæ, patro-  
cinia calidis precibus postulata:  
Capiti ipsius S. Lamberti splen-  
didissimum Festum institutum.  
Emoritur Horneus anno 1505.

LXXXIV. ERARDVS  
A MARKA.

**H**Eros iste, Ecclesiæ, & Pa-  
triæ Leodiensis bono natus,  
omnium Canonicorum suffra-  
gijs ritè electus, & à Pontifice,  
de more confirmatus, primum  
Sa-



Sacerdos; deinde Episcopus cō-  
secratus, Pentecostes Spiritûs  
Sancti die, primam Deo Ho-  
stiam, primo Missæ Sacrificio,  
obtulit: atque eâdem hebdo-  
made, pluribus sacros Ordines  
contulit, etsi Episcopus Suffra-  
ganeus non deerat, cuius opera  
plerique Superiores Episcopi,  
ad id munus vti consueuerant.  
Multa deinceps præclara præ-  
stitit: è quibus pauca, quæ ad  
Catholicam illius, & Ecclesiæ  
Religionem insinuandam, per-  
tinent, breuissimè, more nostro,  
delibamus.

Translationis S. Lamberti Fe-  
stum, maiore, quàm hactenus,  
splendore, celebrari præcepit:  
& sacrosanctum eius Caput,  
à quatuor Cathedralis Eccle-  
siæ Canonicis, in sacrâ pom-  
pâ circumgestari, quotannis  
redcunte



redeunte festâ die , in perpetuū instituit.

Caroli Cæsaris Edictū, contra Lutherum, eiusque Sectatores, per id tempus exortos , Leodij, totoque Episcopatu , promulgari iussit. Sacerdotem , praua dogmata spargentem, vlttricibus flammis tradi mandauit.

Anniuersarium Sacrum, Exequiasque post mortem suam, omnibus deinceps temporibus, celebrari voluit.

Libertinos quosdam temere de Religionis Dogmatibus disputâtes, vel proscripsit, vel extremo supplicio sustulit. Scholas, & conuenticula hæreticorum prohibuit: & Magistellum pueros corrumpentem, perpetuo exilio damnauit. Plurimos alios hæreticos, vel morte, vel alijs poenis multauit.

Tan-



Tandem, cum Leodiensi Ecclesiae annos triginta duos, sanctissime praeuisset, ad meliorem vitam, omnibus Ecclesiae Sacramentis munitus, euolauit, die 16. Febr. anno 1538.

LXXXV. CORNELIVS  
A BERGIS.

**I**Nitijs huius Praefulis, multi Anabaptistae, Angliam expulsi, cum se in Ditionem Leodien. infudissent, supplicijs coerciti sunt; viris Vulcano: foeminis Nepruno traditis.

Capitis poenam in eos constituit, qui haereticorum libros, venderent, emerent, legerent. ipsis libris igni traditis. Vita defungitur anno 1543.

LXXXVII.



LXXXVI. GEORGIVS  
AVSTRIACVS.

EDicta contra Hæreticos renouauit, & publicauit, ipso in Episcopatum ingressu. Catholicis Sacramentis munitus, catholicè obiit, anno 1557.

LXXXVII. ROBERTVS  
ABERGVS.

MOx vt electus est, Sacerdotio inauguratur, & Sacerdotij primitias, primam Missam Deo offert. Huius tempore noui Episcopatus in Belgio, authoritate Pauli IV. Pontificis, petente, & annitente Philippo Rege Catholico, erecti, detractâ Episcopo Leodiensi, eiusque Archidiaconis, Iurisdictione, & Urbibus, Oppidis, Pagis, ingenti numero: Ex quo  
colli-



colligas, quanta Ecclesiæ Leo-  
dientis fuerit amplitudo: quæ,  
cum hodieque sit amplissima, a-  
liquot Episcopatibus nouis e-  
rigendis, terras, & populos,  
concessit.

Robertus, vni Deo vacandi  
studio, Episcopatum sponte re-  
liquit, succedente Groesbeka-  
no, anno 1564.

### LXXXVIII. GERARDVS GROESBEKANVS.

Leodienses ad Fidem Catho-  
licam, & Romanam retinen-  
dam, & tuendam, acri, & effi-  
caci oratione hortatus est, quæ  
hactenus nunquā interrupta in  
nobili isto Episcopatu, ab ipsis  
Apostolorum temporibus, fuis-  
set. Conclamatum vno ore ab  
omnibus, Velle in Maiorum  
sacrosanctâ Religione vivere,  
& mori.

E

Vi-



Vicini interea Hæresi additi, praua dogmata per impios Ministros spargebant, & pruriente aure excipiebant: imagines sacras confringebant: & deniq; Religionem auitam cōculcabant. Hasselerenses vicino malo afflati, ad eandem perniciosam libertatem aspirabant.

Præsul veritus, ne mala ista contagia Oves hætenus innocentes, & sanas læderent, officiij eos admonet, tum litteris missis, tum etiam viris, Catholicâ Religione, & prudentiâ pollentibus. Quæ, vbi parum proficiunt, rebelles eos & Diuinæ, humanæq; Majestatis reos, à rerum capitalium Iudiciis, declarari mandat.

Leodij, eâdem de causâ, intentissimè vigilatum, & inde in perpetuum exilium eiectione aduen-  
næ,



nae, qui praua dogmata clanculum disseminabant. Masekani itidem nouis rebus studentes, ut rebelles damnantur. Mox contracto Exercitu, Groesbekanus, omnium Ordinum consensu, Hasselenses obsideri iubet. Quin ipse eodem profectus, frustra feroces, ad deditiorem compellit, pollicitos, in Maiorum Religione deinceps perennaturos. Exemplum eorum secuti Masekani. Omnes praesidium Militare receperunt.

Collegium Societatis IESU Leodij admisit: ei que, praeter caeteram beneuolentiam, duos Prioratus vniuit, Sancti Seuerini, & quod dicitur De Munno.

Gregorius XIII. Pontifex vere Maximus, & Optimus, ad Magistratum Leodiensem litteras anno 1575. dedit: quibus

E a

eorum,



eorum, & totius Populi constantiam in Fide, magnifice laudat, &, vt porro pergant, hortatur. E quibus Leodienses meos illa verba recordari velim, & altè animo infigere: *Confirmabant vos Catholicam Religionem, piè, catholiceq; colere: haereses pœnitus odisse, & detestari, atque abigere.*

Post multa, præclarè, maxime pro Religione gesta, Episcopus Gerardus, defunctus piè & Catholicè est ferijs SS. Innocentium anno 1580.

LXXXIX. ERNESTVS  
BAVARVS.

**P**Attribus Societatis IESV, qui iam inde ab anno 1566. sub Groesbekano, Leodij Deo, & Proximo operam dederât, Domicilium attribuit, quod Fratrum



trū S. Hieronymi eatenus fuerat. Qui anno 1581. vltimā die Aprilis, Iuuentutis Scholas aperuerunt.

Ernestus contra hæreticos, & eorum receptatores Edictum promulgat & Iohannē Backs, qui praua dogmata docuerat, hæresin abiurare cogit.

Hollandi ad Ordines primū Leodienses : tum ad Ernestum Præsulem scribunt, conquerentes, suæ Religionis homines indignè tractari : responderet Præsul, vt Catholicæ Religionis Defensorem decuit. Quin & tunc, & deinceps quoad vixit, hæreticos perscrutatus est, eiecit, supplicijs affecit.

Idem Quadragesimæ Ieiunia, hæreticorum viciniā non-nihil labefacta, Edicto proposito, religiosius obseruari præcepit.



cepit. Tum Monasteriorū quorundam abusus fustulit, probante eius diligentiam, & Constitutiones, Summo Pontifice.

Tandem, iteratis Edictis Ecclesiæ Leodiensi contra hæreses, Aquisgrani maximè in viciniâ grassantes, cauet; & placidè in Domino moritur, Anno 1612. die 17. Februarij

XC. FERDINANDVS  
B A V A R V S.

DE hoc ne adulari videar, fidebo. Satis loquitur Catholicum illud Symbolum, quod non magis Serenissimæ Familiæ insignibus subscribit, quàm Vitâ, & Moribus describit.  
A V I T A F I D E.

*Lector*



*Lector Catholice.*

Poteram hîc adiungere, & Finem imponere huic cōmentatiunculæ. Cui enim dubium vllum superesse potest, de Catholicâ Fide, & Religione, in Leodiensi Ecclesiâ, iam inde ab eius exordio, perpetuò cultâ, & propagatâ; qui omnes, & singulos eius Antistites Catholicos vixisse, & obiisse videat: neque Clerum, aut Populum, ab eorum Fide, & doctrinâ, vel latum vnguem aberrasse? Nihilo tamen minus, visum est, Capita aliquot hoc loco subiungere ex historijs nostris eruta, quæ Catholicorum Romanorum esse constat, & ab Ecclesiæ, Fideiq; Catholicæ, & Romanæ hostibus impugnari. Possunt quidem illa ex Leodiensium Episcopo-



rum rebus gestis, quas obiter  
indicaui, colligi: sed quia  
hinc inde dispersa sunt; in gra-  
tiâ Catholicorum Leodiensium  
iudicavi, singula distinctè esse  
proponenda, quò magis in prò-  
tu sint. Ea, nouo capto princi-  
pio iam aggredior.

Vnum tamen prius moneo,  
Antiquiora illa tempora Epis-  
coporum Tungrensium, hoc  
loco me fere non repetiturum;  
sed ea tantum commemoratu-  
rum, quæ magis propriè sunt  
LEGIAE CATHOLICAE, ini-  
tio factò à S. LAMBERTO, qui,  
etsi Leodiensis Episcopus non  
fuit; Patronus tamen Ecclesiæ  
Leodiensis est præcipuus, cum  
cuius Sacro Corpore, Episco-  
patus Tungris Leodium à S.  
HVBERTO, primo Episcopo,  
Historiâ nostrâ teste, fuit trās-  
latus.



*I. Ecclesia, eiusq, Antiquitas, Successio, Continuatio, Constantia, sine Interruptione.*

**L** Eodiensis Ecclesia, ut est nobilissima, ita est Antiquissima. Ostendimus ab ipso S. Petro, Apostolorum Principe, missum S. Maternum, à quo inchoatus Episcopatus Tungrensis: cum quo, Leodiensis, loco tantum mutato, vnus est. Merito igitur retinet gloriosum illud Elogiũ, à S. HVBERTO, primo suo Episcopo, acceptum.

SANCTA LEGIA, ECCLESIAE  
ROMANAE FILIA.

Ostendimus & successionem, longâ tot Episcoporum serie, nusquam interruptâ: neque magis quoad Antistites, quàm quoad sanam, & Catholicam

E s

Do-



Doctrinam; à quâ nec vnus vel  
in minimo puncto declinasse  
vnquâ reperietur. Est omnino  
hæc beata Constâtia, argumen-  
tum certissimum, illustratam  
hanc Ecclesiam perpetuò fuisse  
à Sole Iustitiæ. cuius radij nū-  
quam obscurantur, nunquam  
deficiunt, nunquam mutantur.  
Gaude, & audacter gloriare  
hâc perpetuâ luce. Ô CATHO-  
LICA LEGIA. De te dici po-  
test, quòd de Ecclesiâ Vniuer-  
sali & Romanâ, eleganter ce-  
cinit bonus Poëta:

*Mille, & sexcentis manet  
inuariabilis annis:*

cum contrâ de Neodoxorum  
Congregatione, idem non mi-  
nus verè addiderit:

*Mille, & sexcentas facies,  
centum induit annis.*

Credi potest, Petrum Apo-  
stolum,



stolum, cum hanc tuam Constantiam, Prophetie oculo prouideret; ideo Maternum, quadragenos iam dies sepulcro conditum, vitæ reddidisse; cum ita iudicaret, Naturæ quoque ipsius leges potius mutandas, quàm æternum Dei Decretum de futurâ Cōstantiæ tuæ Æternitate.

*II. Communio cum Romano Pontifice, alijsq; Catholicis Episcopis.*

**A**bsque Capite Corpus subsistere nequit: quod nō magis in animantibus obtinet, quàm in Congregationibus cuiusque generis. Caput Ecclesiæ Catholicæ, Summum Rom. Pontificem, Catholici omni æuo agnouerunt. Agnouit in primis à Deo edocta Ecclesia Leodienſis:



diensis : cuius primus Episcopus S. Maternus à S. Petro, Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ Episcopo, missus est. Reliqui deinceps Antistites , plerique à Romano Pontifice, Leodiensibus dati : omnes autem ab eodem, de more, approbati, & confirmati. Certè de nullo contrarium ostendi potest. Reperantur, quæ in eorum serie suprâ scripsimus. Quinetiam, si quando schisma Ecclesiam Rom. vexavit, Leodiensis Ecclesia legitimo Pontifici adhæsit, intruso Antipapa reiecto. Vide in serie Episcopoportum, in Ioanne de Arkel. 77.

Ad alios Episcopos, quod at-  
tinet, eorum tantum commu-  
nionē Leodienses Episcopi sem-  
per inhæserunt, qui cum Sede  
Apostolicâ ipsi communicabāt.  
Quod



Quod adeo verum est, vt S. Seruatius, ipsum suum Metropolitanum Euphraten, Archiepiscopum Coloniensem. quòd Arianâ hæresi infectus esset, nō modò non agnouerit, sed non cessauerit contra illum niti, donec, coacto Concilio Catholicorum Antistitum, eum de Sede deturbârit.

Et, quoniam de Concilijs mentio incidit, non est hoc loco prætereundū, Concilijs Catholicis solitos interesse Leodienses Episcopos, inque ijs Catholicam sententiam dicere. Suprà notauimus Farabertum 42. Engelheimensi Synodo, iussu Agapiti Papæ congregatæ, cum multis alijs Catholicis Episcopis, interfuisse. Longè antè illum, Domitianus Concilijs Aurelianensi, & Auernensi

fi



si affuit. Eodem spectat, quod Concilium Tridentinum tempore Ernesti Bauari 89. Leodij promulgatum, & reuerenter admissum fuit.

### 3. *Conuersio Gentium.*

QVod Christus Dominus Apostolis iniunxerat, vt *predicarent Euangelium omni Creaturae*: Quod Ecclesia Catholica, & Pontifices Romani semper factitarunt, hodieque faciunt: fecit quoque pro suo modulo Ecclesia Leodiensis, eiusque Episcopi, tanquam Ecclesie Romanæ genuini filij.

Martinus Septimus Episcopus vicinis Hasbanis Christi fidem intulit, eorum meritò dictus Apostolus. S. Perpetuus vicesimus tertius, plures Barbaros eandem fidem docuit.

Vice-



Vicesimus sextus S. Aman-  
dus Gandauenses instruxit. Ne-  
que hoc contentus, ad remo-  
tiora terrarum se extendit, vltra  
Danubium quoque progressus,  
eodem Christum annuntiandi  
studio.

S. Lambertus Martyr, Patro-  
nus noster, Taxandros, alios-  
que finitimos erudiit.

S. Hubertus primus Leo-  
diensium propriè Episcopus,  
Arduennæ Apostolus ideo vo-  
catur, quòd Arduennam ipse  
ab Idolorum cultu abductam,  
ad veri Dei nostri, & Seruato-  
ris IESU-CHRISTI cognitio-  
nem, & adorationem traduxe-  
rit. Addit Vitæ eius Author,  
etiam Taxandriam, Traiecto,  
vbi degebat, viciniorem, qua-  
tenus necdum Lamberto pa-  
ruerat, eodem beneficio affe-  
cisse:



cisse, atque etiam Brabantiam :  
quod eruditi, & pii Brabantini  
hodie libenter agnoscunt. Mit-  
to iam cæteros.

4. *Hæreseon Horror, Con-  
futatatio, Eiectio.*

OMnes quidem Hæreses, sed  
Arianam maximè, tamquam  
communē animorum pestem,  
omnibus viribus persecutus est,  
& exagitavit S. Seruatius. Dixi  
suo loco num. 10. quæ hîc non  
repeto.

Ratherius 43. è pluribus li-  
bris, quos scripsit, vnum reli-  
quit contra insana Dogmata  
Anthropomorphitarum.

Sub Notgero 46. sponte Hæ-  
reses ruebant, vt de illo scripsit  
eius temporis Poëta.

Durandum 49. supra dixi-  
mus, primum fuisse, qui contra  
duos



duos virulentos Hæresiarchas scripserit de S. Eucharistiâ, quâ illi, vt hodie eorum sequaces, sublatâ, quod in se erat, veritate, in meram Figuram redigebant.

Iudæum Wazo 52. veritatem, disputationis vi, & argumentis, agnoscere coëgit.

Ioannes Heinsbergius, Catholicæ Religionis zelo ardēs, Hussitas Hæreticos, Lutheri, & sequaciū eius proauos execratus est: sed & cum multis alijs Principibus viris, arma sumfit, & in expeditionem contra eos est profectus.

Erardus à Marka, Caroli Cæsaris Edictum, contra Lutheranos cōscriptum, totâ Leodiensi Ditione promulgauit, & diligenter obseruari præcepit. Quin & impium Sacerdotem,  
Hære.



Hæreseos venena spargentem igni exuri iussit. Alios vel proscripsit, vel extremo supplicio affecit. Et plura sunt illius præclara in eodem genere.

Similia eius Successor Cornelius à Bergis, non dissimili studio præstitit.

Vix ingressus Episcopatum Georgius Austriacus, Edicta contra Hæreticos, promulgari iteratò curavit.

Gerardo Groesbekano in studio Catholicæ Religionis retinendæ, respondit Populus Leodiensis, vno ore conclamantibus omnibus velle in antiquâ Patrum Religione, vt semper, vitam ducere, & in eâ emori. Quod hætenus præstant.

Ernesti denique studium, & diligentia, in eâdem fide retinendâ,



nendâ , & prauis dogmatibus,  
omni ope procul pellendis, om-  
nibus est notissima.

Ex his iam perspicuum om-  
nibus esse debet, Nullam esse  
Ecclesiam, nullam nationem,  
quæ in sæpe dictâ Religione  
tuendâ, cum Leodiensi possit  
contendere: multas verò, atque  
adeò plurimas, ab eâdem lon-  
gissimè superari.

Pergite, Leodienses, quo  
hactenus pede progressi estis:  
neque committite, vt hæc vestra  
gloria vel minimam maculam  
vllò vnquam tempore, con-  
traxisse, iure dici possit.

*5. Templâ Deo & Sanctis  
erecta, consecrata, do-  
tata, ornata.*

**H**Oc argumentum, vel si so-  
lum sit, sufficiat, ad Leo-  
dien-



diensium Catholicam Fide pro-  
bandam : maximè si attenda-  
mus, & omni æuo, alia, atque  
alia extracta fuisse : & in eo-  
rum nullo præter Catholicam,  
aliam vnquam fuisse promul-  
gatam doctrinam. Hoc, etsi ex  
ijs, quæ hætenus memorauimus,  
clarum, apertumque est,  
operæ tamen pretium est, ἀνα-  
κεφαλαίωσιν breuem hîc pone-  
re, ex quâ idem magis, magisq;  
elucescat.

Sunt in Vrbe Leodiensi ( de  
hâc solâ, eiusque Suburbij iam  
agam, reliquis per Episcopatu-  
tum, ferè omissis ) Canonico-  
rum Collegia decem ; tribus in  
Cathedrali Ecclesiâ numeratis.

Neque modica, aut minuta  
ista Collegia sunt, & paucorum  
hominum, vt passim alibi vide-  
mus Canonicos octenos, aut  
denos.



denos. Cathedralis Ecclesia sexagenis constat; reliquæ, singulæ tricenis: duo tamen Collegia, Cathedrali affita, aliquanto sunt minore numero.

Omnino Canonici Leodij sunt plures trecentis. Quibus in Divinis Officijs obeundis subseruiunt, quos Sacellanos dicimus, alijsque administri non pauci.

Ecclesiæ, quas Parochiales dicimus, triginta quatuor quotidie à Catholico Populo frequentantur. Religiosorum Virorum Domicilia, vt minimum sunt 22. quibus accedunt sacrarum Virginum 10.

Adde his Sacella, siue publica Oratoria 12. Adde Xenodochia, siue Nosodochia, id est, vel Peregrinorum, vel ægrorum hospitia, quæ ideò Hospitalia vocamus, 15.



Iam Beguinarum (de quarum Origine, & Instituto, in Radulpho Episcopo 62. egimus) domicilia, partim maiora, partim minora, tot sunt, ut numerus agrè iniri possit. Ponam, ut minimum, 50.

Quæ si alijs locis sacris annumeres, reperies ad 153. Quæ omnia à Catholicis Imperatoribus, Regibus, Principibus, Dynastis, Episcopis, alijsve vel sacris, vel alioqui pijs hominibus, fundata, & dotata, Catholicæ Religionis, & Fidei, insigniter Leodij florentis argumenta sunt certissima, atque adeo Sole clariora.

### 6. *Altaria, Missæ sacrificium.*

Templa eò potissimum comparata sunt, ut in ijs Altaria  
statuan-



statuantur : Altaria porro , vt  
super ijs Sacrificia offerantur.

Templorum ingentem nu-  
merum paulò antè indicaui-  
mus. De eorum Consecratio-  
ne nihildum diximus , quam  
hoc loco oportune attingemus :  
quòd in ipsis Templis Altaria  
maximè consecrantur, ad Missæ  
sacrificia in illis perpetranda.

S. Monulphus Templum  
consecrauit in honorem S. Ser-  
uatij ; & aliud SS. Martyrum  
Cosmæ, & Damiani : alij alia,  
vt suprà in ipso Episcoporum  
Catalogo ostendimus. Illud  
prodigiosum , quòd Monul-  
phus, & Gondulphus pridè de-  
functi , è tumulis suis emerse-  
rint, vt Consecrationi Ecclesiæ.  
à Carolo Magno , Aquisgrani  
erectæ , cum multis alijs Anti-  
stitibus, interessent : vt in Mo-  
nolpho



nulpho meminimus. Quod certè ostendit, quàm Deo cordi sit sacra illa, & Catholica cæremonia.

De Altaribus satis constat, nullam vnquam Ecclesiam ædificatam, quin in eâ, vnum, aut plura Altaria erigerentur. Et fanè sunt Ecclesiæ non paucæ, in quibus ingentem eorum numerum videas. Non ibo per singula. Repete, sodes, quæ ante annotauimus.

Aliud hoc loco prodigium præterijisse, nefas duxerim, quod in Seruatio legisti. Romam ille petebat, vt Deum ad Apostolorum limina, pro Grege suo Tungrensi, exoraret. Ex itinere Metas adiit, S. Auctore, eiusce loci Antistitem salutaturus. Rogat hic, vt Missæ sacrificium Deo offerat in eâ Ecclesiâ, quæ  
S.



S. Stephani erat. Paret ille roganti. Sed cum Altaris lapidem, lapsu ruentis trabis contractum reperisset: ducto prius per fragmina sacro digito, pristina integritate redonauit. Ut alia desint argumenta, nonne hoc solo diuino testimonio, & Templâ, & Altaria, & sacrificia satis probata sunt?

De Missæ Sacrificio denique, cur operose ostendam, in Ecclesiâ Leodiensi semper viguisse, cum id Templâ, & Altaria clament: & plerique Episcopi, mox à suâ Electione, & Consecratione, illud Omnipotenti Numini obtulerint?

Quinetiam ipsi Episcopi, alijque inferiores Sacerdotes, ad hoc maximè sacrificium perpetrandum, ab alijs Episcopis, perpetuò consecrati fuerunt.

F

Exem-



Exempla habes in S. Huberto,  
S. Friderico, Alberto, Ioanne,  
& alijs.

*7. Clerici, Monachi.*

**T**Ot illa, quæ memorauimus,  
Templa, tot Altaria, sine  
Ministris, & Clero, frustra cō-  
parata videantur. Ipsi Episco-  
pi, sacrorum Principes; deserti,  
& solitarij sint, nisi Sacerdotes,  
Diaconi, Hypodiaconi, alijque  
inferiores Administri ijs assi-  
stant, sacramque Pompam du-  
cant, & exornent.

Sine his nunquam Cathe-  
dralis Ecclesia, nunquam tot  
Collegiatæ, tot Parœciæ, tot  
Monasteria, tot Sacella, aliaq;  
sacra Domicilia, fuerunt, aut  
esse potuerunt. Hæc etsi con-  
stant: ex ijs tamen, quæ antea  
diximus, repetere potes ista.

*Cle-*



*Clericos* in S. Seruatij Ecclesiâ constituit S. Monulphus: Canonicos Richarius, Norgerus, Albero atque alij. Magnificè hi triumpharunt de nepharijs Dæmonibus. Historia digna est, quæ iterum, ac tertio relegatur, vti eam tradidimus in Iohanne de Arkel, 77.

Monachismus, quanto semper in honore Leodij fuerit, inde patet, quòd non modo Monachos instituerunt, & honoribus affecerunt multi Episcopi, vt Walcandus, Franco, Farabertus, Reginardus: sed multò etiam magis, quod à Monachis instituti, atque adeo Monachi ipsi fuerunt, vel ante Episcopatum, vel post ipsum, & illo Monasterij amore relicto. Atque hi plerique Martyres, vel alioqui magni Sancti fuerunt,



vt Amandus, Remaclus, Theodardus, LAMBERTVS.

8. *Amplitudo, & Maiestas  
Ecclesiæ Leodiensis, maxime Cathedralis.*

**N**Egari non potest, alias quoque esse Ecclesias, in quibus Clerici, atque Monachi magnificè floruerint, & floreat. Sed ausim dicere, extra Romanam, paucas esse, in quibus ea sit Amplitudo & Maiestas, quæ in Cathedrali Leodiensi, tot iam Seculis perennat. Episcopum in singulis reperias, Præpositum, Decanum, Canonicos: sed habet Cathedralis Ecclesia Leodiensis præter hæc omnia, Archidiaconos: neque illos vnum alterumve, vt in alijs videmus: sed omnino septem; quorum longè,



longè, ac latè funditur Iurisdic-  
tio, & authoritas. Indico obi-  
ter. Sunt hi Archidiaconi Has-  
baniaë, Brabantiaë, Arduennaë,  
Hannoniaë, Condrosij, Campi-  
niaë, & Famennaë.

Hasbaniaë Archidiacono sub-  
dita sunt Parœciae 242. Braban-  
tiaë, 190. Arduennaë, 117. Han-  
noniaë, 111. Condrosij, 145.  
Campiniaë, 184. Famennaë, 111.  
Collige in summam vnam, ef-  
ficies 1100. Penè me præterie-  
rat octauus Archidiaconus, qui  
est Urbis ipsius Leodiensis, idem  
cum Cathedralis Ecclesiæ Præ-  
posito.

Iam, quod non temerè alibi  
reperias, è Canonicis S. LAM-  
BERTI, duodecim sunt Abba-  
tes, quos Seculares vocant. Ij  
sunt S. Mariaë, & D. LAMBER-  
TI Leodiensis: S. Mariaë Tun-  
grensis:



grensis: S. Mariæ Traiecten-  
sis: S. Mariæ Namurcensis: S.  
Mariæ & S. Perpetui Dionan-  
tensis: S. Marię, & S. Rumoldi  
Mechliniensis: S. Mariæ, & S.  
Theodardi Tudinensis: S. Ma-  
riæ, & S. Petri Cennacensis: S.  
Mariæ, & SS. Harlindis, & Re-  
nustæ Masekensis: S. Mariæ, &  
SS. Georgij, & Ode Amanien-  
sis: S. Mariæ, & S. Hadelini  
Cellensis quondam, nunc Vise-  
tensis: S. Mariæ, & S. Petri Al-  
nensis. Adde aliam dignitatem,  
nihilò hâc inferiorem: Quòd  
in S. JAMBERTI Ecclesiâ non  
tantum est vnus Præpositus: sed  
quòd septem Canonicorû Col-  
legiatæ Ecclesiæ neminem Præ-  
positum habere possunt, nisi ex  
Cathedralibus Canonicis vnũ:  
vt & aliæ aliquot extra Urbem.

Scio, ex his quædam accisa  
in



in illâ recente nouorum Episcopatum institutione, de quâ  
suprà egi in Roberto à Bergis,  
Episcopo 87. sed non debet hoc  
fraudi esse Ecclesiæ Leodiensis  
Amplitudini, & Maieſtati.

Ad quam hoc etiam accedit,  
Quòd in solâ S. LAMBERTI  
Æde sunt Sacella, aut Altaria, ad  
40. quòd foundationes sacræ, &  
quæ dicimus Beneficia, 47. quòd  
uarij sacrorum Administri, plu-  
res centum.

Quò minus mirandum, si è  
tam Nobili Clero, non modo  
frequentes, ad Episcopatus, &  
Cardinalatus accersiri: verum &  
ad summum Summi Pontifica-  
tus Apicem euecti. Ex eo enim  
prodierunt B. Stephanus 9. Ni-  
colaus 2. Urbanus 4. Gregorius  
10. Clemens 6. vt Henricum  
Leodiensem Episcopũ filcam,



qui eo nomine Pontificatu maior censeretur debet, quod ad eum magno Purpuratorum Patrum consensu vocatus, maiore gloria reiecit, quam plerique admittunt, aut ambiunt.

Cum nulla maior sit gloria in Ecclesia Catholica, quo quis possit conscendere, in hac destinam Leodiensis Ecclesiae Maiestatem.

*9. Divae Virginis - Matris,  
reliquorumq, Sanctorum  
Cultus perpetuus.*

QVis de horum Cultu dubitet, qui tot augustissima Temppla videat, eorum honori dicata? Consule, quæ diximus in Baldrico Episcopo 47. ubi reperies, ab eo vel erecta, vel dotata Temppla B. Virginis, B. Lamberti, B. Bartholomæi, B. Iaco-



Iacobi: A Theodiuino 53. habemus Ecclesiam B. Mariæ in Hoyo, & S. Euermari Martyris in Rutis. Obertus 55. Sancti LAMBERTI Templū splendide exornauit: Ecclesias Sancti HVBERTI, & S. Fidei extruxit. In Alexandro 58. leges de Ecclesiâ Noui Monasterij prope Hoyum: de Floreffienſi prope Namurcum: de Kokinorum, prope S. Christophorum. In Henrico 60. de Alnensi Monasterio, rogante S. Bernardo: in Radulpho 62. de Ecclesia S. Laurentij. Satis ista de Templis, etsi plura alia sunt, quæ addere liceat. Solus Notgerus 46. tot extruxit, annis 36. quibus præfuit; vt qui ignoret, aliquot seculorum opera censeat. Ad damus pari compendio pauca alia, quæ in alio genere, ad



Sanctorum cultum spectant.

S. Domitianus 20. S. Seruatij Sepulcrū magnā pietate frequentare solitus est, & quā licuit, ornare. Idem fecit S. Monulphus; qui & splendidum Templum ad cæteram pietatem adiecit: illudque prædijs suis perquam opimis opulentauit. Ioannes Agnus bona sua, non contemnendæ rei, SS. Cosmæ, & Damiani Oratorio legauit. Fulcarius 32. & deinceps Gербaldus 34. S. Swiberti Canonizationi (vt voce Ecclesiasticā vocamus) Religiosam operam dederunt. Walcandi 35. opes luculentæ, Ecclesiæ S. HVBERTI in Arduennā, doti fuerunt. Eraclius 45. recuperatā ad D. Martini tumulum, valetudine, eiusdem Sancti Medici sui honori nobile Templum erexit, & con-



consecrauit: exemplo suo docens, quàm Deo gratum sit, ad Sanctorum *Memorias* peregrinari. Sic enim Maiores vel Ecclesias, vel Monumenta beatorum Martyrum, aliorumve Dei amicorum, vocare consueuerat. Eiusmodi peregrinationes, ad SS. Apostolorum Principum Corpora potissimum, obierunt plures Antistites Leodienses: vt S. Seruatus, S. HVBERTVS, atque alij.

Iam, vt taceam, Sanctorum Festos dies, religiosè semper à Leodiensibus Nostri cultos fuisse: noua quoque Festa aliquot Leodienses Præsules instituerunt, aut institui curarunt. Sanè Robertus 68. ad cæteram Pietatem suam hoc adiecit, vt in toto Cisterciensium Sacro Ordine, S. LAMBERTI Festum celebra-



lebraretur, cuius eatenus tantum fiebat Commemoratio. Iohannes 83. S. eiusdem Martyris Capiti splendidum, totâ suâ Diœcesi Festum instituit. Erardus 84. Translationis eiusdem Festi, sacram pompam maiore, quàm antè ageretur, magnificentiâ auxit. Et longè prius, Stephanus 39. S. Eugeniû Martyrem nobili itidem Festo honoravit.

Altaria quid hoc loco memorem, Sanctorû nomine dedicata? Ecclesias qui antea tot Sanctorum vocabulo erectas audiuit, de Altaribus dubitare quî poterit! Ægrè vnum Templum totâ Diœcesi reperias, in quo Ara non sit, alicuius Sancti nomine cōsecrata: quin potius plurima sunt, in quorum singulis, eius generis multæ reperiuntur.



periantur ; maxime Beatissimæ Virginis Matris Dei, cultu , & veneratione celebres.

Monet me huiusce Sanctæ Virginis mentio , vt de eâ aliquid obiter addam , extra ordinem , & supra sortem reliquorum Sanctorum , qui omnes eam vt Matrem, Dominam, & Reginam agnoscunt.

Præter Festa plura, quæ tota Ecclesia Catholica , huic Dei Matri celebrat , proprium habet , quod vocat Recollectionem Festorū B. Virginis, paucis per Belgium , Ecclesijs commune.

In omnibus fere toto anno Diuinis Officijs , si non exhibetur Matri Dei præcipuus post Deum , cultus: sit tamen de eâ, honorifica Commemoratio.

In plerisque tum Religio-  
rum



rum hominum Ecclesijs, tum  
Parœcijs sub Vesperam decan-  
tantur eiusdem Virginis Matris  
Laudes, quas Leodiensis Popu-  
li vsus *Gratias* vocat: ideo o-  
pinor, quod Deo gratiæ refe-  
runtur pro beneficijs, nobis per  
Deiparæ preces, liberaliter ex-  
hibitis.

De Imaginibus eius, & ho-  
nore, in quo Leodij sunt paulò  
pòst commodus erit locus di-  
cendi. Peregrinationes item ad  
loca quædam, peculiari eius ho-  
nori dedicata, & prodigijs à  
Deo nobilitata, infra recense-  
buntur. Claudamus iam hoc  
caput.

10. *Sanctorum Reliquia.*

VT antiquissima omittamus:  
recolantur hæc. Walcandus  
35. S. HYBERTI Sacrum Cor-  
pus



pus Leodio Andainum summo  
 cum honore transtulit: quod i-  
 bidem supra octo Secula, auctâ  
 in immensum gloriâ, magis, ma-  
 gisque celebratur, etiam à Po-  
 pulis longius distitis. Franco,  
 38. SS. Virginum Remullæ, &  
 Harlindis Exuvias, è terræ vis-  
 ceribus, in apertum productas,  
 & argenteo feretro, auro exor-  
 nato, reuerenter impositas, pu-  
 blicitus adorandas proposuit.  
 Eraclius 45. idem prestitit Cor-  
 pori Sancti Euermari Martyris.  
 Notgerus 46. SS. Reliquias vn-  
 dique studiosè conquisiuit, &  
 varijs in Ecclesijs decenter cō-  
 posuit Baldricus 47. S. Andree  
 Apostoli Ossibus honorem de-  
 tulit. Theoduinus 53. tum alio-  
 rum Sanctorum Sacros Cine-  
 res veneratus est: tum maxime  
 S. Iacobi Apostoli, quos ab vs-  
 que



que Compostella supplex petijt, & gratulabundus obtinuit. Nec minore studio Obertus 55. S. Sepulcri, & S. Ioannis Baptistæ, ab Arnulpho Ierosolymitano Patriarcha, deferente Petro Eremitâ, transmissas Reliquias excepit. Alexandri 61. in Reliquiarum suarum honore pietatem expertus est Carolus Magnus, dum eas è terrâ leuauit: vt & S. Domitianus Radulphi 62. in simili officio: Sanctus Laurētius Martyr Alberti 64. qui Româ eius Lipsanâ detulit: Sanctus Hadelinus Adolphi 75. in translatione sui Corporis: Sanctus LAMBERTVS Iohannis 83. qui & eius Reliquias, stimulante pietate, tumulto aperto, iustrauit; & eius Sacro Capiti, Festum, vt supra dixisse memini, instituit.



Denique huc spectant tot  
 Templa, tot Altaria, Sancto-  
 rum Corporibus reponendis,  
 Leodij, & totâ Diœcesi ere-  
 cta: de quibus in Episcopo-  
 rum Catalogo legisti. Nec hîc  
 repeto.

## II. *Sanctorum Imagines.*

LOquantur ipsæ Imagines,  
 Quis cultus, quæ veneratio  
 Sanctis, à Leodiensibus semper  
 fuerit exhibita. Inspiciantur, nō  
 modo Ecclesiæ, Sacella, Ora-  
 toria, Hospitalia, Ædium Sa-  
 crarum, & Publicarum propy-  
 læa, Cœmeteria: verum etiam  
 Plateæ ipsæ, atque adeo viæ  
 publicæ, itinera, agri, siluæ.  
 Ubique apparent sacra illa mo-  
 numenta. Et vt Ecclesias, a-  
 liaque loca sacra fileamus;  
 vt



ut de alijs Sanctis, eorumque Imaginibus & Statuis nihil dicamus: quisquis cæcus non est, videt. etiam nolens, tum aliorum Sanctorum; tum maxime Christi, & Sanctissimæ Matris eius signa publicè exposita, Populorum pietati, & adorationi. Cerne Leodij Pontes, Fontes, Platearum flexus, & concursus: ubique videbis, vel Christi directi, vel Virginis Deiparæ, vel S. LAMBERTI, vel alicuius ceterorum Diuorum Imagines, & ad eas, lucernas, flores, viridantes ramos, aliaq; ornamenta, pij affectus fideiû Catholicorum, non vana argumenta.

Matris quidem Christi Domini Statuæ hoc præcipuum in Ciuitate Leodiensi habet, quod primarijs eius festis, totos octo dies, sub vesperam, Litanæ, aliaque



liæque piæ preces à Catholicâ  
iuuentute, ad eas decantantur,  
parentibus hortantibus. & vota  
iungentibus: idque sæpe non  
sine dulci musici concentus mo-  
dulatione. Addamus pauca par-  
ticularia.

Wolbodo 48. cum semper  
Christi Crucem præcipuo af-  
fectu coluisset quoad vixit: tum  
piè emoriens, in eiusdem com-  
plexu animam suauiter emisit.

Illud minimè silendum. Gre-  
gorius Pontifex Max. hoc no-  
mine decimus, Legem tulit, quâ  
impios sacrarum Imaginum te-  
meratores plecti iubet. Est ea  
Lex relata in lib. 6. Decret. c.  
*Si Canonici*, *De officio ordi-*  
*narij* Eorum impietatem vo-  
cat *Horredam indeuotionem*:  
detestatur eorum *Irreuerentē*  
*ausum*: vult in eos procedere

*Vltri-*



*Utricem duram sententiam.*  
Quærat quis, Quid hoc ad  
Leodiensium Catholicam Re-  
ligionem? Meminerit ille per-  
contator, hunc Pontificem san-  
ctissimum, ad illud supremum  
fastigium Dignitatis, e Clero  
primario Leodiensi fuisse eue-  
ctum, ut supra mihi scriptum.

Zelum eiusmodi Deo esse  
quàm gratissimum, ostendit ali-  
quando ipse Deus: cum Leo-  
dij impius Sannio, in Christi  
Cruci affixi Imaginem sacrile-  
go ioco iniurius, oculo multa-  
tus est. Vide, si lubet, in Alber-  
to, 64.

*12. Victoriæ, & Triumphi  
Sanctorum ope parti.*

Spectat hoc etiam ad Leodien-  
sium erga Sanctos veneratio-  
nem commendandam, intelli-  
gere



gere singularem vicissim in eos  
Sanctorum propensionem, be-  
neuolentiamque.

Satis mihi sit hoc loco, repe-  
tere obiter S. Lamberti nobi-  
lissimum Triumphum, quem  
Bullonicum dicimus: cum Bea-  
tissimi huius Martyris Sacrum  
Corpus in Castra delatū, Ray-  
naldi Comitis præferocem au-  
daciam fregit, &, quod nullā  
humana vi fieri sperabatur pos-  
se, Arx illa rupi, nidi instar af-  
fixa, & dolo malo occupata, in  
potestatem Leodiensis Antisti-  
tis Alberonis secundi, postlimi-  
nio redijt, gladio Domini, &  
Lamberti, difficillimum bellum  
momento conficiente.

Satis, alteram Victoriā ni-  
hilo pluribus verbis memorare,  
quā Henricus Brabantia Dux,  
ab Hugone de Petra Pōte. post  
nefan-



nefanda multa patrata, contusus est, & ægrè licet, sapere iussus, neque S. Martyrem Lambertum in suam perniciem irritare: Ex quo Sancti eiusdem Triumphus, qui à loco, in quo pugnatum, & Victoria parata, in STEPPES dicitur. Vtriusque huius Triumphi splendor Leodij ab aliquot Seculis perennat, festo die memoriam quotannis refricante, & accendente pietatem. Prior relatus anno Salutaris 1141. posterior 1213.

Non æquè omnibus notæ (etsi ignotæ esse non possunt Historiæ Leodiensis, & Belgicæ Studiosis) duæ aliæ Victoriæ, Triumphis itidem promeritæ.

Alexander Episcopus 58. Godfridum Ducē Louaniensem, fines Leodienses, vexantem, inuocato



uocato prius suppliciter S. Lā-  
berto, imparibus licet longè  
copijs, fudit, fugauitque: & in  
illustris Victorię argumentum,  
Labarum ei eripuit. quod mul-  
tis annis Leodiensis Ecclesia in  
publicis Processionibus publi-  
cè circumtulit, nobilis Trium-  
phi monumentum.

Henricus Leodiensium An-  
tistes 60. ab Henrico Namur-  
censi Comite, iniusto bello la-  
cessabatur. Is Corpus Sacrum  
B. Lamberti in castra deferri  
curauit, eius potissimum præsi-  
dio nixus. Neque id frustra.

Hostes panico terrore diui-  
nitus agitati, funduntur, & fu-  
gantur; ne vno quidem Eccle-  
siastici Exercitus, vel capto, vel  
vulnerato.



13. *Miracula.*

**T**riumphus illi, S. LAMBERTI  
ope relati, debent utique in  
Miraculis, & quidem illustri-  
bus, numerari. Sed illis seor-  
sim commemoratis, addamus  
alia aliquot, quæ Leodiensium  
Catholicam Fidem magis, ma-  
gisq; omnibus manifestam fa-  
ciant.

In Wolbodone 48. repe-  
ries plurima, & maxima pro-  
digia ad eius sacras Reliquias  
patrata: & idem in S. Martyre  
Frederico 56. itemque in altero  
S. Martyre S. Alberto De an-  
tiquioribus illud tantum me-  
morare lubet, S. Servatii tu-  
mulum, aperto cœlo expositū,  
ruente licet niue, & omnia cir-  
cum latè contegente, ne tactum  
quidem vnquam fuisse.

Sed



Sed hæc particularia quibusdam, vt pleraque alia, maximorum etiam Sanctorum, iam defuerunt. Dat enim Diuinum Numen eiusmodi, quibus, & quando expedire nouit; & idem eadem tollit, cum visum fuerit. Alia quædam afferamus, vel iam inde ab antiquis temporibus inchoata; vel nuper edicpta; sed sic, vt vtraque, nobis videntibus, & stupentibus, & Deum, Sanctosque eius laudantibus, vsque perseuerent. In priori genere, illud est, quod Andaini in Arduennâ, ad S. HVBERTI Reliquias, multifariam tot iam seculis patratur.

Ibi S. Stola, diuinitus, Dei Matre mittente, Angelo afferente, data, nouem iam propè seculis, fornice carpta, & attonsa, in suâ longitudine, occultis

G

aucti-



auctibus crescens, perseverat. Ibi à dirâ rabie, quibus illa certò imminebat, eiusdem stolæ fragmine fronti inserto, sine exceptione, servantur. Ibi, quos eadem rabies, certos mori, miserandum in modum exagitat, priori sanitati certò restituuntur. Inde, quibus frons eâdem Stolâ munita, authoritas confertur, tempus prorogatur ijs, qui legitimè impediti, ad præscriptum remediū tempori accedere non possunt. Mitto alia, quæ ad octo, aut decem stupenda Miracula toto Orbe teste, conspicua, ascendunt.

Eiusdem generis sunt, quæ in Vrbe aut Suburbij Leodiensibus, frequenter conspiciamus: ad bina, inquam, Altaria, in Æde Cathedrali, B. Virginis-Marris nomine consecrata: ad  
eius



eiufdem facram Statuam apud  
Scolares: in Æde S. Leonardi  
in Suburbio: quæ loca meritò  
affiduis Peregrinationibus, ma-  
gno piorum Catholicorum cō-  
cursu celebrantur.

Posterioris generis, quæ non  
ita pridem orta, B. Mariæ Vir-  
ginis Patrocinia, & Beneficia, in  
Diœcesi Leodiensi, cæci quoque  
conspiciunt, in S. Seuerini Pa-  
rochia intra Urbem: in Eccle-  
fiâ B. Virginis, in Pago Foyen-  
si, prope Dionantum; in alterâ  
prope Hoyum, loco, qui Sar-  
tum dicitur. vt de aliâ fileam,  
cui in Condruſio vocabulum  
est, de Ties. Certè in Foyenſi,  
talìa patrata ſunt, quæ cum an-  
tiquis illis, & toto Orbe cele-  
berrimis, Lauretanâ, & Hallen-  
ſi, alijsque, & multitudine, & ad-  
mirabilitate, certare poſſint. Ea



Petrus Bouille nostræ Societa-  
tes, stilo Gallico, non elegan-  
tius, quàm verius, publico de-  
dit. De Miraculis, cum multò  
plura afferre liceat; pro insti-  
tuto satis ista sunt.

14. *Septem Sacra-  
menta.*

**N**ON modo Ecclesia, & Po-  
pulus Leodiensis, Sacra-  
menta integro numero semper  
agnouit, & debitam veneratio-  
nem, tamquam Salutis nostræ  
diuinitus institutis Instrumentis  
detulit: sed & illis si qua alia  
natio, legitimè iuxta Ecclesiæ  
Catholicæ præscriptum, & re-  
ligiosè vsus est

Baptismo Ceremonias ab Ec-  
clesiâ Romanâ vsurpatas, &  
probatas, integrè adhibuit.

Confirmationem baptizatis,  
suis



ſuis temporibus ab Epifcopo  
ſtudioſè conferri curauit.

Euchariftiæ ſacroſanctæ ſiue  
Sacramentum, ſiue Sacrificiũ,  
ſingulari cultu, perpetuo pro-  
ſecutus eſt; vt ex ijs, quæ ſuprà  
retigi, & quæ paulò poſt refe-  
ram, intelligi poteſt.

Pœnitentiam quo ſtudio pro-  
ſequatur, tot Leodij Tempia  
loquuntur, quæ piorum Ca-  
tholicorum confertis turbis re-  
dundant, ad Sacerdotum ſacra  
Tribunalia accedentium, cul-  
pasque vltro fatentium, & im-  
poſitas pœnas libenter ſuſci-  
pientium, & alacriter obeun-  
tium.

Extremæ Vnctionis Sacra-  
mentum, grauiore infirmitate  
depoſiti, & qui eorum curam  
gerunt, adeò ſemper venerati  
ſunt, vt & illi ſolicite illud ſibi



conferri postulent; & isti graui se piaculo obstringi credant, si quam negligentiam tantâ in re, admisisse videantur.

Ordo, sacrorum Hominum insigne, quàm Leodiensibus nostris curæ sit; tanta Ecclesiasticorum multitudo, eorumq; perpetuæ functiones, satis ostendunt.

Matrimonia denique ita celebrantur, facile vt appareat, non magis in ijs civilem contractum quàm Sacramenti sanctitudinem, obseruari.

### 15. *Festum Venerabilis*

#### SACRAMENTI.

Sacramentorum omnium nobilissimum esse constat Venerabilem EVCHARISTIAM, vt in quâ ipse omnium Sacramentorum Author, Christus Deus.



Deus. Huius peculiare Festum, cum mille propè, & ducentos annos, in Ecclesiâ Catholicâ defuisset; voluit idem Deus, originem sumere in Ecclesiâ Leodiensi. Sanè Mons Cornelij in Suburbio Ciuitatis Leodiensis est, quo in loco facta prima, & sæpius repetita, celebrandi huius Festi Reuelatio est, & Præceptum datum. Iuliana, Leodiensis fuit, & in eodem Cornelio Monte, Sacris Virginibus præfecta, cui ea Reuelatio facta, & datum de vulgandâ, Præceptum. Leodiensis Eva, quæ vtriusque Deo indulgente particeps fuit. Leodienes Primarij è Clero, Viri, ad quos res ipsa relata, & ab eis disputata, ponderata, & probata denique fuit, & laudata. E Leodiensi Clero, Urbanus IV.



Pont. Max. qui Festum ipsum instituit, & toto Christiano Orbe iussit, solemnium cum Pompâ coli. Leodij est (vt cætera si-  
leam) S. Martini in Monte, Ec-  
clesia, in quâ, antequam terra-  
rum vsquam, idem Festum ce-  
lebratum.

Et frustra sunt, qui vel igno-  
ratione, vel, quod peius, prauo  
rixandi studio, aliò conantur  
detorquere.

Scriptus mihi super eo ar-  
gumento. Libellus, hætenus  
non vulgatus. Sed non desunt  
alii, qui idem tractarunt: in  
quibus pereleganter Bartholo-  
mæus Fizen Noster. Si lubet,  
reperere, quæ suprâ tetigi in Ro-  
berto Langonensi 68.

16. Mar-



16. *Martyres, Alijque  
Sancti.*

**T**antum studium, Deum,  
Sanctosque colendi, quan-  
tum ex ijs apparet, quæ hacte-  
nus diximus, satis ostendit, Leo-  
dienses omni ævo Sanctos ha-  
buisse, imò Sanctos fuisse, eâ  
quidem natione, quâ Magnus  
Gentium Apostolus, *Sanctos*  
vocat omnes Christianos, &  
Catholicos. Sed quoniam usus  
obtinuit, ut *Sanctos* quosdam  
dicamus excellentiore quodam  
intellectu, eos, quos vel hîc ma-  
iore sanctitate, supra Christia-  
norû vulgus emicuisse; vel iam  
in cælo, cum Christo, sanctita-  
tis omnis fonte, & authore re-  
gnare constat: age, etiam hos  
Leodiensî Ecclesiæ non defuisse.  
ostendamus: sed ostendamus



tantū , id est sine omni exaggeratione ponamus , ne caput hoc supra institutum nobis crescat.

APOSTOLOS vocari scimus, non eos modò , qui cum Christo, domestici vixerunt, aut qui mox ab eius in cælum ascensu, ijs , vel æquâ potestate , aut ut supparet , suffecti sunt ; verum etiam , qui Apostolico Spiritu pleni , etiam longè post , vel proximas gentes , vel remotiores, ab Idolorū nefando cultu, ad vnius veri DEI cognitionē , & cultum, magnis animis, & laboribus adduxerunt. Sic Dionysius ille, Arcopagitarū decus, Galliarum; sic Bonifacius, Germaniæ ; sic Gregorius, Angliæ Apostoli , optimo iure vocitati sunt.

Qui ea legit, quæ suprâ obiter tetigimus , reperiet , tales inter  
Leo.



Leodienses Præsules, minimè  
desiderari. Leget videlicet, S.  
Maternum, Treuironum, A-  
grippinatū, Tungrorum: Mar-  
tinum, Hasbanorum: Amādum,  
Gandensium, & remotiorum  
ultra Danubium, Populorum:  
LAMBERTVM, Taxandrorum:  
HVBERTVM Arduennatum.

MARTYRES etiam cupis?  
Habes Theodardū, LAMBER-  
TVM, Fridericum, Albertum.  
Solos Episcopos numero. Alij  
sunt multò plures. CONFESSO-  
RES si recensere aggrediar, vo-  
lumine integro sit opus. Extat  
Catalogus præcipuorum, ante  
annos aliquot editus; quem si  
lubet consule. Sunt &

VIRGINES plurimæ: inter  
eas Christina illa, verè MIRA-  
BILIS. Et, ne quis Ordo, etiam  
in hoc sexu, desit sunt etiam

VI.



VIDVAE, vt S. Amalberga,  
&

CONIVGATAE, vt S. Adela,  
mater S. Trudonis. Non omit-  
tam, quin etiam in Muliebri in-  
firmitate, robur, & constan-  
tiam indicem.

MARTYRVM. Percurre ite-  
rum Catalogum, & miraberis  
Albinā duplici Diademate ful-  
gentem, candido Virginitatis, &  
purpureo Martyrij: Beatricem  
item, eodem gemino honore  
conspicuam; vt & Iustinam.  
Alias modo fileo, memor pro-  
positæ mihi breuitatis.

Sed prorsus filere non pos-  
sum, nec verò debeo, heroicam  
planè illam virtutem, & con-  
stantiam tot Virginum, & Mu-  
lierum Leodiensium, quæ in  
dirâ illâ, & barbarâ vastatione  
Ciuitatis, spectata est, & à Ia-  
cobo



CATHOLICA. 151  
cobo de Vitriaco, Cardinale,  
Authore grauissimo, descripta.  
Res ita habet.

Ante annos admodum quadringentos, cum Henricus, Comes Louaniensis, eiusque exercitus, primum Ditionem, tum Ciuitatem Leodiensem, depopularetur, & funditus euerteret: ingens fuit numerus earum foeminarum, quæ, ut virginitatem, & pudicitiam suam, contra foedas impurissimorum militum libidines, tuerentur, semet vel in coenofas cloacas, vel in fluuium Mosam præterlabentem, vltro præcipitatum irent: præoptantes, vel vndarum vorticibus hauriri, vel foetore suffocari, quàm turpiore tætritudoine maculari. Vidit Iesus, puritatis amator & probauit illum honestatis amorem. Itaque nulla, in tanto  
vitæ



vitæ discrimine, vitam amisit :  
nullius castitatem prædones ca-  
stitatis læserunt. Vna meretur  
(cuius utinam ingrata obliuio  
nomen nobis non inuidisset!)  
ut pulcherrimum facinus non  
fileatur, præ quâ, Cloelia illa  
Romana, umbra videri possit,  
imò nox, & somnium.

Vna igitur Virginum earum,  
quæ æstuosis mox fluctibus vo-  
lentes rapiebantur; cum à solo  
Christo, Sponso suo, auxilium  
expectaret; repente, unde mini-  
mè expectabat, auxilium adesse  
vidit: sed auxilium insidiosum,  
& ab eiusmodi hominibus, qui  
suam libidinem explere quære-  
rent, non eius vitam tutatum  
irent. Duo milites scaphâ ve-  
cti ad eam nauiculantur: ipsa  
tutores suos, non Virginitatis  
latrones rata, in lembum (pira-  
ticum



ticum illum quidem) se recipi  
 paritur. At ubi vidit, quid mo-  
 liantur; iterum ab undoso flu-  
 mine præsidium quærit. Navi-  
 culam igitur totius corporis a-  
 gitatione ipsa exagitans, tan-  
 dem impacto ad saltum graui-  
 ter pede, euertit, & seque & il-  
 los, in aquas, seruatrices suas,  
 excutit. O Magnus Deus, pu-  
 ritatis Seruator, libidinis vin-  
 dex! Merguntur impuri: ipsa  
 innocens ripæ innoxia sistitur,  
 Liberatori suo laudes, gratula-  
 bunda, cælo, & terrâ plauden-  
 tibus, decantans.

### 17. *Cura pro Mortuis.*

**H**ic, si homines tacuerint, LA-  
 PIDES CLAMABVNT. In-  
 spiciantur, inquam, marmorea,  
 & saxea Monumenta: &, si  
 lubet, interrogentur. Quamuis  
 muta



muta, clamabunt tamen, Leodienſis Eccleſiæ Filios, omni æuo. ita fidelium defunctorum memoriam, gratis animis, coluiſſe, vt etiam pro iſdem, purganti igne cruciatis, Sacrificia, & Preces Deo ſtudioſè obtulerint. Et vt etiã Æra audiamus, & ſpirantia, & quâuis tubâ vocaliora, Mauſoleum illud tantum attendamus, in Æde Cathedrali Leodiensî. Regiã magnificentiã, ab immortalis memoriæ Antîſtite à Marka erectum. Probabimus in eo, non magis Dædali Artificis diuinam manum, quàm Principis pietatem æmulam Magni illius Iudæ Machabæi, qui *Benè, & religioſè de Reſurrectione cogitans duodecim millia drachmas argenti, miſit Ieroſolymam, offerri pro peccatis*

MOR-



MORTVORVM SACRIFICIVM  
 2. Mac. 12. Addamus conclu-  
 sionem, & oraculum Diuinum,  
 quod addidit Diuinus Histori-  
 cus: *Sancta ergo, & salubris*  
*est cogitatio*, PRO DEFVN-  
 CTIS EXORARE, *ut à pecca-*  
*tis soluantur.*

Hanc tam sanctam, & salu-  
 brem cogitationem, semper ha-  
 buerunt Catholici Leodienses,  
 non modò Episcopi, sed & cæ-  
 teri è Clero, & Populo: ut cuius  
 perspicue palam est, qui hodie-  
 que videat tot Missarum Sacri-  
 ficia, & à Defunctorum co-  
 gnatis, amicisve, peti; & à Sa-  
 cerdotibus offerri: qui Fune-  
 brem Pompam consideret; ijs-  
 dem maximè Sacrificijs, cantu  
 Ecclesiastico, precibusque ce-  
 leberrimam: qui tot Epitaphia,  
 in Ædibus, Cœmeterijsque sa-  
 cris,



cris, aspiciat; in quibus ut plurimum sollemnis illa, ad extremum formula: *Requiescat in pace*; aut, *Orate pro eo*. Postremò, qui attendat, non tantum in funere, & exequijs, preces, & sacrificia frequentari: sed & mox à funere, in *Quadragesimos dies*, Defunctis sacrificio quotidiano parentari, & nō raro, *Anniuersario* obitus die, vel in longissimum tempus; vel in perpetuum, eadem sacra frequentari.

Neque hæc noua sunt. Omni seculo exempla sunt obuia, & *Fundationum litteræ* producuntur. Pauca ex superioribus repetamus. Celeberrima in hoc genere, est historia *S. Monulphi*, qui cum intelligeret, Principis cuiusdam animam, ad longiores cruciatus, in purgatorio



rio igne damnatam, populum  
ardenter hortatus, vt orationi-  
bus, ieiunijs, & eleemosynis  
subuenirent, id poenarum, iun-  
ctis & ipse suis, Deo vota au-  
diente, contraxit.

*Notgerus*, inter Leodienses  
Antistites clarissimus, *Defun-*  
*ctorum* memoriam, à S. Odi-  
lone Abbate, postridie Kalend.  
Nouemb. institutam statim in  
suam Ecclesiam transtulit.

Baldricus Arnulpho Comi-  
ti preces, & Sacrificia pro De-  
functo pollicitus est, & quod  
promiserat, largiter præstitit.

*Erardum à Marka* antè lau-  
dauimus. Is in S. LAMBERTI  
Cathedrali Ecclesiâ, Anniuer-  
sarium sacrum, pro se Defuncto  
celebrari voluit omnibus futu-  
ris temporibus: quod hætenus  
quotquot annis, celebri pom-  
pâ perennat.



18. *Scriptores sacri.*

MUltum est, & magnum omnino, Catholicam Fidem, & Religionem, tot seculis illibaram retinuisse. Sed addit non parum ad hanc laudem, scriptis eandem tutatum esse, & ad Posteriores quoque nunquam morituris Monumentis, potenter propagasse. Hoc cum aliarum quoque Ecclesiarum Præsules, alijque memorabiles viri, egregie præstiterint: ne Leodienfes quidem eodem in genere cessatores fuerunt. Hoc obseruo, hos Nostros, ea ex professo Argumenta tractasse, quæ Catholicos fuisse, velut clavis signis, & notis probent. Aliquot produco in quibus faxo, id appareat.

*Durandus* Leod. Episcopus  
49. contra nefarium Hæresiar-  
cham



cham Berengarium nobile Epistolam scripsit ad Robertum, Galliarum Regem, quâ & illius blasphemam hæresin confutat; & Christi Dei nostri Præsentiam in SS. Eucharistiâ, solidissimis rationibus astruit. Merito hîc repetamus Baronij verba, quæ suprâ in Durando posuimus. *Vides, inquit, Lector, prima spicula in virulentum Draconem vibrata fuisse à nobilissimâ Ecclesiâ Leodiensi, Catholica fidei tenacissimâ: in primis verò ab eius Episcopo Durando. Hoc certè Catholicum fuit, & contra eam Hæresin, quam ab inferis excitavit Calvinus, & quam hodie eius sectatores in primis inculcant.*

*VVazo Episcopus Leod, 52. Manichæos Hæreticos, acri Epistolâ ad Catalaunensem Episcopum*



scopum datâ solidissimè confutauit.

*Adelinus* Leodiensis Scholasticus, postea Brixienſis Episcopus, idem *Argumentum*, pari zelo, tractauit.

*Algerus* Canonicus Leodiensis, de Eucharistiæ item Sacramento, tres libros scripsit, *Optimè, plenissimè, perfectissimè*, inquit locuples Author, & idoneus Iudex, Petrus Cluniacensis.

*Stephanus* Episcopus Leodiensis, Vitam S. LAMBERTI, & Officium de SS. Trinitate.

*Ratherius* Episcopus Leod. vitam descripsit S. Vrsuari.

*Godeschalcus* Canonicus, Vitam S. LAMBERTI.

*Anselmus* Canonicus, Vitæ plurium Episcoporum.

*Nicolaus* Canonicus, Vitam S.



Sancti LAMBERTI; & eiusdem  
Sancti Triumphum Bullonicū.

*Lambertus* Canonicus, Vi-  
tam S. Odilię, & Filij eius Ioan-  
nis Abbatuli; & Triumphum  
Steppesiacum.

Vide, vt isti Sanctorum Vitis  
cedendis se addixerint, eorumq;  
gestis heroicis, à quibus Secta-  
rij, ab Ecclesiâ Catholicâ alie-  
ni adeò abhorrent. Sed addo  
alios aliquot, qui Argumenta  
tractarunt, merè Ecclesiastica.  
Siquidem

*B. Notgerus* Episcopus cō-  
scripsit Profarum opus Origi-  
nale.

*Franco* Scholasticus, de  
Computu Ecclesiastico.

Ex Antiquioribus satis isti.

Iam recentiores, quis nescit?  
Quis, inquam, ignorat *Leuini*  
*Torrentij* sacra Poëmata? Cha-  
peauilli



peauilli Vitas omnium Episcoporum Tungrensium, & Leodiensium, quis non vidit? ut si leam alia sacra Opera, de Casibus Conscientiæ, alijsque Argumentis Ecclesiasticis, & planè Catholicis. Denique in manibus sunt libri Steuartij in Scripturam, & alij.

Fuerunt hi duo extremi Canonici Leodienses, & Vicarii Generales; quorum posteriori priorem proximè excepit.

### 19. *Obiectio, & eius Reiectio.*

**N**ON addam plura Argumenta, quibus nobile LEGIAM, perpetuò Catholicam fuisse ostendam. Sed nec dissimulabo obiectionem quorundam; qui cum Hæresin illi impingere nō possint, schisma certè impingunt.



gunt. Videamus, quàm ex vero.

Cæsar Baronius, in Annalibus suis, ad annum 1102. narrat, Cum Robertus, Flandriæ Comes, contra Schismaticos, Henrico Imperatori adhærentes, arma sumisset, ijsque Cameracenses vexasset; epistolam accepisse à Paschale II. Papâ, quâ cum hortabatur, vt Leodienses, itidem Schismaticos, inuaderet: hos verò exacerbatos, contra illam Paschalis Epistolam, suam opposuisse Epistolam, siue Declamationem accerrimam, quâ se Schismaticâ infantiâ correptos ostenderunt. Eam declamationem ait Baronius extare in Tomo 2. Conciliorum Editionis Colonien-  
sis, anni 1591.

Video, difficile esse, hoc totum negare: maximè cum in-

H

tegram



tegram Paschalis Epistolâ Baronius recitet. Verumtamē Lectorem meum rogandum iudico, vt hæc maturè consideret.

Primum, Epistolam illam Leodiensium, in nullâ Conciliorum Editione reperiri, vt testis locupletissimus est Binius, vltimâ, & accuratissimâ Conciliorum omnium Editione, à se concinnatâ, in Paschali II.

Deinde alium Authorem neminem esse, qui eam Epistolam, siue Declamationem proferat, præter Centuriatores Magdeburgenses, qui sanè ij non sunt, quibus fidem adhibere debeamus: cū id sibi negotij tantum datum videatur credidisse, vt integras mendaciorum Centurias in Ecclesiasticæ Historiæ Cāpum inducerent: vt nihil mirum sit, si dixerimus, ab  
ipsis



ipsis hoc commentum esse, vel  
ab alio aliquo, qui Leodiensi-  
bus hoc impegerit.

Præterea, Nihil frequentius  
in Historiâ occurrere, quam  
maximos quosque Principes, at-  
que adeo Pontifices, falsis Ca-  
lumniatorum criminationibus,  
in optimos quosque exacerba-  
ri: ac sic fieri potuisse, vt Pa-  
schalis surreptitiâ de Leodien-  
sibus, narratione, deceptus, eam  
ad Robertum Comitem dede-  
rit Epistolam.

Ad hæc, Non negauerim,  
paucos aliquot è Clero Leo-  
dienti, ab Henrico Imp. in par-  
tes traductos, cum illo eandem  
fortè insaniam insaniuisse. Cer-  
tè Paschalis ipse Pontifex in E-  
pistolâ suâ vocat Leodienses,  
excommunicatos Pseudocleri-  
cos. Atqui hoc non eiusmodi

H 2

esse



esse videtur, vt Leodienses, Schismatici inde dici debeant: maxime, (quod omnino diligenter obseruandum) cum quidquid illud mali fuerit, potius Politicum fuerit, quam Ecclesiasticum. Nam Imperatori Excommunicato adhæsisse dicuntur contra Paschalem Papam; non Guiberto, Antipapæ Schismatico. Videatur sanè Baronius ipse & qui alij Authores eam Historiam tetigere. Hoc, an ad Schisma, an potius ad Bellum pertineat, iudicet prudens Lector.

Postremò, hoc ipsum bellum, pro Imperatore à Leodiensibus susceptum, non diu durauit: vt appareat, Leodienses, vbi primum causæ æquitatem sincerè cognouerunt: occupatos antea falsis narrationibus, statim resipuisse. Atqui nemo vnquam vl-



li Ecclesiæ Schisma impegit, quæ alicui Antipapæ (de cuius Schismate non liquebat) adhærere modico tempore visa sit; & mox, re accuratius perspectâ, vero Pontifici se adiunxerit.

Maneat igitur, LEGIAM CATHOLICAM, S. Romanæ Ecclesiæ Filiam, nunquam Hæresi, nunquam vero Schismate fuisse inquinatam: sed (quod ad ista quidem attinet) à S. MATHERNO, ad FERDINANDVM vsq; Bauarum, perdurasse, non habentem maculam, neque rugam: & etiamnum perdurare.

VERE LEGIAM

CATHOLICAM.

H 3 EPI.



EPILOGVS,  
ALLOCVTIO.

**H**abetis CATHOLICI LEODIENSES, vestram LEGIAM CATHOLICAM. Habetis, à quibus, à quot Seculis, quâ Constantiâ, quibus Argumentis, quibus Signis, probata sit Fides, & Religio vestra.

Statuite iam, An vestræ Pietatis, vestræ Prudentiæ, vestræ Sapientiæ, vestræ Grauitatis sit, Luthero, Caluino, Zuinglio, Oecolampadio, Bezæ, & horum discipulis, post-ponere



ponere PETRVM, Ma-  
 ternum, Seruatium, Do-  
 mitianum, Monulphum,  
 Gondulphum, Perpetuū,  
 Ioannem Agnum, Aman-  
 dum, Remaclum, Theo-  
 dardū, LAMBERTVM,  
 HVBERTVM, Notge-  
 rum, VVazonem, Alber-  
 tum, aliosque Antiftites,  
 Parentes, Martyres ve-  
 ltros.

Statuite, An cōtra hos,  
 fedecim feculis perpetuā,  
 nec interruptā sibi ferie  
 succedentes (vt taceā de  
 reliquo Orbe terrarum)  
 paucos illos, fungorum  
 instar, vnā Hærefeos no-



Et natos, à nemine, nisi  
à seipsis missos, recipere  
debeatis.

Statuite, An Heroës  
isti, constantissimè ean-  
dem Fidem, eandem Re-  
ligionem, eandem Do-  
ctrinam, eadem Sacra, ea-  
dem Sacramenta, easdem  
Cæremonias, agnoscen-  
tes, profitentes, docentes;  
illis inter se dissecatis, se  
mutuò damnantibus, co-  
medentibus, consumen-  
tibus, cedere, & Patrimo-  
nium relinquere debeât.

Statuite, An illis ve-  
stra Tempia, Altaria, Sa-  
crificia, Reliquias, Imagi-  
nes,



nes, Reditus, Iura, Maie-  
 statem, Triumphos, Mi-  
 racula, Sacramenta, De-  
 functorum Suffragia, Ec-  
 clesiam totam, ipsos San-  
 ctos, ipsam Dei Matrem,  
 Christū ipsum, & Deum,  
 prodere debeatis. Sed ni-  
 mirum iam statuistis: &  
 omnia ista, vt hætenus,  
 cōtra iniustos inuasores,  
 retinebitis, & profuso  
 etiam, si opus sit, sangui-  
 ne, & vitâ, defendetis: vt  
 qui hucvſque stetistis, &  
 STATIS IN DOMINO.

*1. Theſſal. c. 3. v. 8.*

H 5

Ita



172

LEGIA

Ita de vobis sentit, ita  
sperat, ita vouet

*Vester omnium in Christo  
Servus*

IOHANNES ROBERTI  
Societatis IESV.





## LECTORI LEOD.

CATHOLICO.

**E**Xcusis iam omnibus, quæ  
huius Libelli erant, exhibentur mihi ab Illustrissimo atq; Reuerendissimo D. Nuntio Apostolico, Litteræ Eminentissimi Cardinalis BARBERINI, iussu Sanctissimi VRBANI VIII. Pont. Max. ad ipsum datæ: & ipsius Illustrissimi Nuntij ad Magistratū Leodiensem, eodem argumento. Quod Argumentum cum ipsissimum sit cum meo; iudicavi gratum tibi fore, si hic vtriusq; Exemplar adderem. Et ecce habes.



*Exemplar Litterarum Eminentissimi D. Cardin.  
Barberini.*

**Z**ELVS Magistratus  
Listius Ciuitatis, erga  
integritatem Religionis  
Catholicæ, in omni æuo  
semper conspicuus fuit,  
& peperit, ad bonū eius-  
dem Religionis, illos ef-  
fectus, qui poterant ex  
optimis Catholicis desi-  
derari. Ex hâc radice pul-  
lulauit, ac prodijt nouum  
Edictum promulgatū ab  
isto Magistratu, contra  
Sacrilegos veræ Religio-  
nis violatores. Quod cū  
Sum-



Summo Pontifici, supra  
modum placuerit, bene-  
dixit paternè Magistra-  
tui, & iubet, vt Vestra  
Dominatio reddat ipsum  
conscium Iubili quo per-  
funditur Sanctitas eius,  
ex continuatione zeli e-  
iusdem erga Catholicam  
Religionem, & vt signifi-  
cet Benedictionem à San-  
ctitate eius impertiri ei-  
dem Magistratui, &c.  
Romæ 4. Iunij, 1633.

*Franciscus Cardinalis  
Barberinus.*



Exemplar Litterarum Illustriſſimi atq; Reuerendiſſimi D. PETRI ALOYSII, Episcopi Tricaricensis, Nuntij Apostolici ad Magistratum Leod.

**V**T I libenter arripio occasiones celebrandi iustis Elogijs Piëtatem, ac sinceram Religionem insignis huius Ciuitatis Leodienſis; statim atque emanauit Edictum illud salutare, latum aduersùs Hæreseos, iam nimium propinquæ, contagia, de eâ re ad Sanctissimũ D. N. VRBANVM OCTA-  
UVM



uum retuli, atque adieci in  
litteris meis eas laudes, quas  
hic propterea Magistratus,  
& Populus promeretur. Ex-  
hilaravit autem tantopere  
animum Summi Pontificis,  
ea tam iucunda, & Ciuita-  
ti huic tam honorifica nar-  
ratio; vt in plausus, & gau-  
dia exultabundus inuitari  
coeperit, ac fateri, studium  
seruandæ, augendæq; Reli-  
gionis Catholicæ, in Magi-  
stratu Leodiensi, fuisse ante-  
hac in omni æuo perinsigne,  
& fructus illos attulisse, qui  
ab optimis Catholicis expe-  
ctari poterant. Ex hac verò  
radice pullulasse nouum E-  
dictum,



dictum, promulgatum contra violatores sacrilegos vere Religionis. Porro cum hoc Edictum, supra modum laudauerit, probaueritq<sup>3</sup>, ideo Magistratui Leodiensi paternè, ac benignè Apostolicam benedictionem impertiuit; & mihi iniunxit etiã, vt exprimerem Iubilum sanctitatis eius, natum ex tam illustri, & constanti continuatione, in proposito tuendi Catholicam Religionem; & vt cõscias redderem DD. VV. impertitæ à Sanctitate eius propterea Benedictionis Apostolicæ. Hoc ago in præsentia, & cum ad laudes  
Pon-



Pontificias nullum accedere  
aliud encomium possit, quod  
inferius illis esse non censea-  
tur; hortor saltem, ut præ-  
clari huius meriti possessio-  
nem DD.VV. retineant diu-  
tissimè, atque ad Successo-  
res, Posterofq; transmit-  
tant. Sentiat Hæresis, post-  
quam ad fines Ciuitatis, &  
Ditionis Leodiensis peruenit,  
sibi, velut æstuanti pelago,  
dici deliberatè; Hic con-  
fringes tumentes fluctus  
tuos Sanguis gloriosi Mar-  
tyris S. LAMBERTI ad-  
huc feruēs ardentissimâ er-  
ga Leodienses suos charita-  
te, sistat inundationem eius.

Sit



Sit LEODIVM, quasi Religionis Pharus, & hinc veræ Fidei fiat significatio ijs, qui circumquaque naufragium eiusdem veræ Fidei, aut patiuntur, aut metuunt. Denique, ostendat Civitas hæc se Filiam esse specialem Ecclesie Romanæ; & nullis blanditijs, aut fraudibus à complexu tam charæ Matris se auelli patiatur. Ita futurum ominor, ac spero; & DD. VV. precor gaudia felicitium. Ex Aedibus Nostreis, die 4. Iulij 1633.

PETRVS ALOYSIVS  
Episc. Tricaricen.



*Series Episcoporum Tun-  
grensium, & Leo-  
diensium.*

TUNGRENSES.

1. Sanctus Maternus, S. Petri  
discipulus.
2. Nautilus.
3. Marcellus.
4. Metropolus.
5. Seuerinus.
6. Florentius.
7. Martinus.
8. Maximinus.
9. Valentinus.
10. S. Seruarius.
11. Agricolaus.
12. Vrcifinus.
13. Designatus, siue Resigna-  
tus.
14. Renatus.
15. Supplicius.
- 16.



16. Quirillus.
17. Eucherus.
18. Falco.
19. Eucharis.
20. S. Domitianus.
21. S. Monulphus.
22. S. Gondulphus.
23. S. Perpetuus.
24. Ebregisus.
25. S. Ioannes Agnus.
26. S. Amandus.
27. S. Remaclus.
28. S. Theodardus Martyr.
29. S. Lambertus Martyr, Patronus Leodiensis.

## LEODIENSES.

30. S. Hubertus primus Episcopus Leod.
31. S. Florebertus.
32. Fulcarius.
33. Agilfridus.
34. Gerbaldus.
35. Wal.



35. Walcandus.
36. Pirardus.
37. Hircarius.
38. Franco.
39. Stephanus.
40. Richarius.
41. Hugo.
42. Farabertus.
43. Ratherius.
44. Baldricus I.
45. Eraclius.
46. Notgerus.
47. Baldricus II.
48. Wolbodo.
49. Durandus.
50. Reginardus.
51. Nithardus.
52. Wazo.
53. Theoduinus.
54. Henricus primus.
55. Obertus.
56. Fredericus.
57. Albero I.
58. Ale-



58. Alexander.
59. Albero II.
60. Henricus II.
61. Alexander II.
62. Radulphus.
63. Albertus Louaniensis.
64. Albertus de Cuyck.
65. Hugo de Petra ponte.
66. Ioannes de Appia.
67. Guilhelmus Valentinus.
68. Robertus Langonensis.
69. Henricus de Guelria.
70. Ioannes Enghienensis.
71. Ioannes Guidonis.
72. Hugo de Cabilone.
73. Adolphus de Waidege.
74. Theobaldus de Barro.
75. Adolphus à Marka.
76. Engelbertus à Marka.
77. Ioannes de Arkel.
78. Arnoldus de Horn.
79. Ioannes de Bauaria.
80. Ioannes de Walenroda.
81. Ioan.



81. Ioannes Heinsbergius.
82. Ludouicus Borbonius.
83. Ioannes Horneus.
84. Erardus à Marka.
85. Cornelius à Bergis.
86. Georgius Austriacus.
87. Robertus à Bergis.
88. Gerardus à Groesbeck
89. Ernestus Bauarus.
90. Ferdinandus Bauarus.

*Socijs J. W. Paderb. 1635.*

FINIS.



---

**E**GO *infra scriptus* Socie-  
tatis IESV in Gallo-  
belgica Prouincialis, pote-  
state mihi ad hoc facta à  
Reuerendo admodum P. N.  
Generali, facultatem con-  
cedo IOANNI OVWERX  
Typographo, vt liber cui  
Titulus est, LEGIA CA-  
THOLICA scripta à R.  
P. IOANNE ROBERTI,  
Latinè: & eadem versa Gal-  
licè à R. P. ALARDO LE  
ROY, vtroque dictæ Socie-  
tatis Sacerdote, Typis man-  
detur. Datum Leodij 14.  
Iunij 1633.

IOANNES LOBBETIUS.



ie-  
lo-  
te-  
a d  
N.  
m-  
RX  
cui  
A-  
R.  
I,  
al-  
LE  
ie-  
n-  
4.  
S.











Th

4949